ACTA PACIFICATIONIS

QVÆ

CORAM SAC. CÆSAREÆ MAIESTATIS COMMISSARIIS,

INTER

SEREN. Regis Hiſpaniarum & Principis Mathiæ Archiducis Auſtriæ, Gubernatoris, &c. Ordinumque Belgii legatos, Coloniæ habita ſunt:

FIDELITER

Ex *Protocolo legatorum Ordinum deſcripta, & quæ Germanicè vel Gallicè concepta erant, in linguam Latinam tranſlata.*

ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini
Architypographi Regij.
M. D. LXXX.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА
140
64

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM *& interdictum est auctoritate Regia, ne quis hunc librum cui titulus est*: Acta Pacificationis, quæ coram S. Cæsareæ Maiestatis Commissariis inter Sereniss. Regis Hispaniarum & Principis Matthiæ Archiducis Austriæ Ordinumque legatos Coloniæ habita sunt,&c. *Latinè, Gallicè nec Germanicè intra tres annos, à die quo vniuscuiusque linguæ impressio fuerit absoluta computando, in hisce inferioribus Prouinciis imprimat vel alibi impressum importet, venalem habeat, aut quouis modo distrahat, præter Christophorum Plantinum Typographum Regium. qui secus fecerit, vltra omnium exemplarium confiscationem triginta florenorum summa pro vnoquoque exemplari multabitur. vt latius patet in ipsis litteris datis Antuerpiæ* VIII. *Februarij* M. D. LXXX.

Signat.

Matthias.

I. van Asseliers.

ACTA PACIFICATIONIS.

AD CONVENTVM, qui per Cæsarem Coloniæ indictus erat, in quo de pace inter Sereniss. Regem Catholicum, & Ordines Belgij ageretur: à Sereniss. Archiduce Mathia & Ordinibus electi & legati fuerunt Illustrissimus Princeps Dominus Philippus de Croy, Dux de Arschot: Dominus Ioannes vander Linden, Abbas S. Gertrudis: Dominus Fridericus de Yue, Abbas de Marolles, rerum Status Consiliarij: Dominus Bucho Aytha Præpositus S. Bauonis: Caspar Schetz Eques, Dominus de Grobendonck & Wesemael: Franciscus d'Oygnies, Dominus de Beaurepar: Adolphus de Meetkerke, Scutifer, rerum Status Consiliarius: Adrianus vander Milen I. V. Doctor, & in Concilio Hollandiæ Consiliarius: Bernardus de Merode, Baro, Dominus de Rumen: Adolphus à Goer, Dominus de Kaldenbroeck: Aggæus de Albada I. V. Doctor.

HI omnes, exceptis duobus, qui tum temporis ibi agebant, & excepto Francisco d'Oygnies, qui propter defectionem, quam Hannonia & Artesia moliebātur, emāsit, IIII. Maij, M. D. LXXIX. Coloniam sub vesperam aduenerunt.

CONVENERANT eôdem iam antè Reuerendissimi & Illustrissimi Electores & Principes: Dominus Iacobus Treuerēsis, & Dominus Gebhardus Coloniēsis, Archiepiscopi & sacri Roma-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Adfuit quoq. ibidem Dominus Caſtaignetus Archiepiſcopus Roſſanenſis nuntius Apoſtolicus.

ni Imperij per Galliam, regnúmque Arelatenſe Archicancellarij: Dominus Iulius, Epiſcopus Herbipolenſis, Dux Franconiæ: item Illuſtriſſimi Ducis Iuliacenſis, Cliuiæ & Bergæ nomine, nobilis vir Wernherus Dominus de Gymnich; & Generoſus Comes Ottho Henricus, Comes in Swartzenberg, Dominus in Hohenlanſberg, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Commiſſarij.

Conſiliarij eius: Maximilianus de Longeual Dominus de Vaulx: Dominus Iohannes Funck Præpoſitus: Chriſtophorus de Aſſonleuile Conſiliarius Regius: Vrbanus Scharenberg, Secretarius.

SIMILITER ex parte Seren. Regis Catholici, Dominus Carolus ab Aragonia, Princeps Caſtri vetrani, Dux Terræ-nouæ.

V. MAII hora octaua manè, conſilio inter legatos Ordinum habito, relectis Mandato & inſtructione ſua, ſecundum præſcriptum illius primùm Iohannem de Keſſel in Secretarium ſuum elegerunt, qui iuramentum illis ad hoc conueniens eodem momento præſtitit: Deinde viſum iis fuit à prandio Comitem de Swartzenberg conuenire, ad exhibendum illi litteras Credentiarum, vt vocant, quas ad ipſum à Sereniſs. Archiduce Mathia & Ordinibus habebant; & vt gratias ei agerent, quòd ipſius opera & ſtudio ad tractationem iſtam de pace peruenirent; ſimul etiam rogarent, ne deſiſteret quãdiu non ad optatam prorſus cataſtrophen deduxiſſet. Vltimò cognoſcerent ex eo num putaret Cęſareos legatos ſua ſponte indutias propoſituros & vrſuros: Metuebant enim, ne ſi ipſi proponerent & vrgerent, Hiſpani difficiliores & inſolentiores fierent. De ceteris etiam, quæ ad modũ & ordinem agendi & procedendi ſpectare putabant, cum illo cõmunicarent.

Ante omnia legati Ordinũ indutias ineundas eſſe cenſuerunt.

A prandio ergo ijs quæ diximus expeditis & pro-

poſitis, ſingulariter autem Comiti explicato, quid de indutiis in mandatis haberent, vt intereà dum de pace inter ſe tractarent, vtrimq. ceſſatio ab armis iniungeretur. Ad ea omnia Comes tum temporis (in ſumma dictum) nihil aliud reſpondit, quàm ſe optimam ſpem de felici euentu concepiſſe; ad quem etiam conſequendum, ſe nulli operæ & labori parciturum.

VI. MAII à prandio circa tertiam, Legati Ordinum primò Electorem Treuerenſem, deinde Electorem Colonienſem, vltimò Epiſcopũ Herbipolenſem accedunt, eoſque Sereniſs. Archiducis Mathiæ & Ordinum nomine ſalutant; gratiiſque actis, quòd in ſe hoc negotium ſuſcepiſſent, atque eo Celſs^bus eorum commendato, moram, quam in veniendo feciſſent, excuſant; de litteris Credentiarũ, quas ad ipſos haberent, ſimul etiam de Mandato ſuo indicant; quæ quando vellent, exhibituros ſe offerunt. Reſponſione more ſolito facta, dies illis ad exhibendum iſta craſtinus aut ad ſummum perendinus conſtituitur.

Præcipua cauſſa erat, quòd non antè diplomata tuti & liberi acceſſus acceſſiſſent.

VIII. MAII Legati Ordinum vocati, exhibent Dominis Commiſſariis litteras Credentiarum, de quibus paulo antè dictum eſt. Illi viciſſim legatis exhibent litteras Imperatoris ad ipſos datas, quibus, quidnam in mãdatis haberent, exponebatur. Deinde multis verbis pacis neceſſitatem iis oſtendunt, deſiderium & ſtudium ſuum ad eam declarant: petunt huiuſmodi media à Legatis proponi, quibus Rex inducatur, vt ipſis reconcilietur. Vltimò editionem Mandati eorum

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

exigunt. Quid ad ea responsum fuerit, quia postea in scriptis illa dari sibi postulauerint, referre hîc supersedeo. Sed cùm Illustriss. Dux Arschotanus ipsemet ea Gallicè elocutus fuisset, Domini Commissarij postulant, vt iuxta morem Imperij, legati Ordinum vel Germanicè, vel saltem Latinè posthac loqui velint: ea verò quæ in scriptis exhiberent, non Germanicè, sed Latinè conciperent. Altero die rursus admonitio de eadem re illis domi, per quosdam Consiliarios facta est, qui petebant quoque Latinè sibi in scriptis ea exhiberi, quæ præcedenti die à Domino Duce Gallicè dicta & proposita erāt. Legati ergo Ordinum ex suis in Oratorem deligunt & ordinant Doctorem Albada, qui communi nomine ea quæ vnanimiter iuxta instructionem suam deliberassent & cõclusissent, proponeret, & vbi opus esset in scriptum redigeret: quia tamen erant ex iis, qui ne inferiorem quidem linguam Germanicam intelligerēt, visum illis fuit non solùm scribendo, sed & dicendo Latina lingua vti. Eodem igitur die sequens scriptum concipiunt, & ad dominos Commissarios transmittunt.

Breuis explicatio eorum quæ octaua Maij Legati Ordinum ore exposuerunt.

Aberat tum tẽporis Comes à Swartzenburg.

IN primo ingressu Reuerendissimis ac Illustrissimis Sacri Rom. Imperij Electoribus & Principibus, nobili ac præstantissimo viro Illustrissimi Ducis Iuliacensis legato, S. Cæs. Maiestatis Commissariis exhibuimus litteras nostras Credentiales, quas à Serenis. Archiduce Austriæ & Ordinibus Belgij ad Celsitudines & dignitates ipso-

ipsorum habuimus. Et cùm ad eas clarissimus vir Cancellarius Treuerensis vicissim nobis litteras Cæs. Maiestatis tradidisset, & vnà cum iis desiderium & studium in primis Imperatoris, deinde Electorum & Principum Commissariorum nobis declarasset; simul etiam calamitates & miserias, in quibus versaremur, nomine eorũ aperuisset, cum exhortatione quò ad huiusmodi media intẽti esse vellemus, vt Regi Hispaniarum nostro naturali Domino reconciliaremur, firmáque pax inter nos tandẽ constitueretur: Illustrissimus Dux Arschotanus nomine Archiducis & Ordinum Celsis^bus & Dignitatibus dictorum Electorum & Principum amicè, humillimè & officiosè pro desiderio & studio isto gratias egit, multísq. ex causis ostẽdit, nihil magis ipsi Duci & Ordinibus in votis esse, quàm vt pax ista coiri possit; nec vnquam per eos stetisse, quin iampridem æquis conditionibus inita & concluſa fuerit, nisi per Regem & ipsius Duces impedita esset. Rogare etiam vt in eo animo & volũtate perseuerare vellent; Archiducem & Ordines id omni amore, officio ac obsequio compensare ac demereri cupere.

PORRO cùm ex litteris Illustrissimi Principis Auraici, quas ad Ducem Arschotanum dedit, colligi possit, non solùm hîc de pace agi per eos, quos Serenis. Rex Hispaniæ ad hunc conuentum ablegauit, sed etiam Principem Parmensem idem tentare: deinde aliunde constet, quosdam alios ex nostratibus Nobilibus hanc potestatem sibi arrogare, quòd non minus cum subditis Maiest. ipsius tum publicè cũ omnibus, tum priuatim cum singulis agere possint, eáq. tractatio non tantùm ad

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

imminutionem auctoritatis Cæſ. Maieſtatis, ſed directè quoq. commiſſioni Reuerendiſſimorum Electorum & Principum, qui ad hunc cõuentum electi ſunt, repugnet; ad hæc confuſionem totius negotij & prouinciarum diſtractionem in pacis & multorum præiudicium illatura ſit. Has litteras Illuſtriſſimus Dux Celſs. & Dignit^bus ipſorũ prælegere, & exemplar earum petẽtibus exhibere voluit, vnáque Archiducis & Ordinum nomine rogare, vt de Mandato Illuſtriſſimi Ducis de Terranoua inquiratur; & ſi ipſi ſoli hoc negotium commiſſum ſit, æquum eſſe vt idem negotium aliis interdicatur.

LITTERÆ IMPERATORIS.

Rudolphus ſecundus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus.

REVERENDI, Illuſt. Generoſi, Magnifici, Nobiles, honorabiles, prudentes, deuoti & fideles nobis dilecti. Cùm pacis inter Sereniſs. Principem Dominum Philippum Regem Hiſpaniarum Catholicum, auunculum, ſororium & fratrem noſtrũ chariſſimum, ac Seren^tis ſuæ prouinciarum Belgicarum Ordines & Status tractandæ negotium nobis vtrimque concreditum ſit: Nos iis quæ hoc loci à nobis expectari poſſunt, deeſſe nolentes, Venerabiles & Illuſtrem Iacobum Treuerenſem & Gebhardum electum Colonienſem Archiepiſcopos, Sacri Romani Imperij per Galliam regnumque Arelat. & Italiam Archicancellarios Principes Electores & nepotes noſtros chariſſimos, ac Guilielmum Ducem Iuliacẽſem, Cliuiæ &

uiæ & Bergæ, conſanguineum, affinem & principem noſtrum chariſſimum: necnon nobilem noſtrum & Imperij ſacri fidelem dilectũ Othonem Henricum Comitem in Schwartzenberg, Dominum in Hohenlanſberg, noſtrum Conſiliarium & ſupremum Curię Mareſchalcum, iſthuc Coloniam deſtinauimus, vt ijdem coniunctim vel diuiſim noſtro nomine & tanquam Cæſarei Commiſſarij noſtri eius rei curam ſuſcipiant, ac quanto maiori ſtudio in id incumbant, vt omnia ad tranquillum ſtatum reducantur, vti ex ipſis vberiùs intellecturi eſtis. Quapropter vos beneuolè clementerque hortamur & requirimus, vt tanquam dictorum Statuum Belgicorum Legati & Mandatarij non ſolùm ijſdem Commiſſariis plenam in omnibus quæ ſic noſtro nomine vobiſcũ acturi ſunt, fidem, non ſecus ac ſi nos ipſos audiretis, præſtare: verumetiam ita vos exhibere velitis, vt haud quicquam in vobis deſiderari poſſit quod ad ſalutarem pacem cõciliandam, ſtabiliendamq. opportunum neceſſariúmve videri queat. Quod cùm de vobis planè expectamus, tum verò ditionibus iſtis Belgicis operã in primis vtilem atq. neceſſariam præſtituri, ac id effecturi eſtis, vt patria veſtra à totali interitu, cui proxima eſt, vindicata optatæ tandem quieti ſuoque priſtino nitori, vti maximè optamus, reſtitui poſſit. De cetero beneuolentiam & gratiam noſtram Cæſaream vobis propenſo animo deferimus. Datum in arce noſtra Regia Pragæ die xviij. menſis Martij, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono. Regnorum noſtrorum Romani, quarto: Hungarici, ſeptimo; Bohemici verò itidem quarto.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

Signatum *Rudolphus*. Inferius ad latus dextrum *Vt. Swieheuser*: & ad latus sinistrum erat scriptū: *Ad Mandatum Sacræ Cæs. Maiestatis proprium.* Infra signatum *Phernberger*. Superscriptio: *Reuerendis, Illust. Generosis, Magnificis, Nobilibus, honorabilibus, prudētibus, deuotis & fidelibus nobis dilectis N. Statibus & Ordinibus Belgicis, vel eorundem Legatis Coloniam destinatis*. Consignatum magno sigillo ex rubra cera.

Ex lingua Germanica in Latinam translata.

COPIÆ CREDENTIALIVM.

Ad Sacr. Rom. Imperij Electores & Principes Roman. Cæs. Maiest. Commissarios, &c. Coloniæ nomine Archiducis & Ordinum mutatis mutandis.

REVERENDISSIMI Electores & Principes, amicabili nostro seruitio, & quicquid alioquin vel chari vel boni possumus, præmisso, dilecti Domini & amici: Posteaquàm Rom. Cæs. Maiest. clementissimo Domino nostro & fratri, ex Christiano pacifico paterno affectu, ad prægressum Seren. Regis Hispaniæ &c. consensum, adiuuante diuina gratia, per suam Cæsaream intercessionem in ciuitate Colonienſi pacificationis tractatum agere, eoque calamitosas has prouincias & subditos à diuturno damnosissimoque bello subleuare clementissimè placuit: Ad quem etiam vestræ dilectiones, vt ei rei suam operam præstent, amicè & benevolè in propriis personis comparuerunt: Atque nos sanè vnà cum his prouinciis nihil acceptius & gratius à Deo Opt. Max. quàm constantem ac salutarem pacem optare sciamus, nec

nec possimus: Ideò ad eiusmodi pacificationis tractatum Illustrissimum Principem Philippum de Croy, &c. (*reliquorum nomina in sequenti Mandato ponuntur.*) cum Instructione plenoque Mandato ablegauimus, prout vestræ dilectiones coràm ex ipsis intelligent. Requirimus ergo ab iisdem vestris dilectionibus prorsus amicè vt velint prædictis nostris & Ordinum harum prouinciarum Legatis, non solùm in iis, quæ nomine nostro propositurí sunt, sicut nobisipsis plenam fidem dare: sed ad eaetiam tam amicè se præstare & exhibere, prout id vestris dilectionibus tanquā pacificis Electoribus & Principibus, præcipuis membris sacri Imperij, ad consolationē harum afflictissimarum inferiorum ditionum, & ad constitutionem piæ firmæque pacis conuenit & factu notum sit. Quemadmodum etiam nos de iisdem omnino nobis promittimus: id quod grata amicitia officiosè promereri quouis tempore parati sumus. Antwerpiæ XVI. Aprilis, M. D. LXXIX.

Matthias Dei gratia Archidux Austria.

MANDATVM *Legatorum Ordinum.*

Ex Gallico in Latinum versum de verbo ad verbum.

NOs Matthias, gratia Dei Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Wirtenbergæ, &c. Comes Habsburgi, Tirolis, &c. Gubernator & Capitaneus generalis Belgii, siue Germaniæ inferioris, per Ordines generales ad id electus; & Prælati, nobiles ac deputati ciuitatum repræsentantes eosdem Ordines ad id inpræsentiarum specialiter & sollemniter conuocati, competentique numero congregati, in ciuitate Antwerpiensi:

pienſi: Omnibus qui has præſentes litteras viſuri ſunt, ſalutem. Quandoquidem cõmunicatio per noſtros deputatos in ciuitate Louanienſi menſe Auguſto vltimo elapſo habita, cum Commiſſariis quondam Domini Ioannis Auſtriaci, ſuper negotio pacificationis harum miſerarum turbarum & bellorum, quibus hæ prouinciæ adeò ſunt extenuatæ, non fuit perfecta, neque conſequi potuit fructum deſideratum & neceſſarium, ad vitãdam integram earum ruinam, ex cauſſa quòd per litteras Regis Catholici, pendente eadem communicatione, poteſtas perficiendi eſſet adempta dicto Domino Ioanni, omniaque permiſſa Imperat. Maieſt^{ti}. qui vti mediator & amicabilis compoſitor, dignatus fuerit ſuam auctoritatem interponere, & ad hunc finem mittere aliquos Principes, alioſque ſuos legatos in ciuitatem Colonienſem: Nos certiores quoq. facti de bona intentione dictæ ſuæ Maieſt. Regiæ, optantes nullum medium aut occaſionem prætermittere, quò dictæ prouinciæ & earum incolæ liberentur ab iiſdem bellis, turbis & calamitatibus, vt in poſterum quilibet conſeruetur & manu teneatur in pace ac quiete, necnon in ſuis iuribus, libertatibus & fortunis, ad honorem Dei, & ſeruitium ſuæ Regiæ Maieſtatis, ad incolumitatem & tranquillitatem ſuorum bonorum ſubditorum ac patriæ amantium: Notum facimus nos in ſupradicta qualitate, commiſiſſe & deputaſſe, committere & deputare per præſentes, dilectum noſtrum & chariſſimum cognatum Philippum Dominum de Croy, Equitem aurei velleris, Ducem de Arſchot, Principem de Chymay & Portien, & Comitem de Beaumont & de Seni-

Senighem, &c. Reuerendos in Deo Patres, Dominum Iohannem vander Linden, Abbatem S. Gertrudis: Dominum Fridericum de Yue, Abbatem de Marolles, rerum Status Conſiliarios: Dominum Buchonem Aytha Præpoſitum S. Bauonis Gandauenſis: Caſparum Schetz Equitem, Dominum de Grobẽdonck, & Weſemale, theſaurarium generalem dominiorum & financiarum: Franciſcum de Oygnies, Dominum de Beaurepar: Adolphum à Meetkerke, Scutiferum, rerum Status Conſiliarium: Adrianum vander Milen, legum Doctorem, Conſiliarium in concilio prouinciali Hollandiæ: Bernardum à Merode, Equitem, Dominum de Rumen: Adolphum à Goer, Dominum de Kaldenbroeck, & Doctorem Aggæum de Albada. Quibus omnibus ſimul, vel quinque aut ſex ex illis dedimus, & his præſentibus damus plenam auctoritatem & mandatum generale ac ſpeciale, ad comparendum coram dictis Legatis Imperatoriis, & vlterius cum deputatis dictæ ſuæ Regiæ Maieſtatis ad præfatam cõmunicationem procedendum, tractãdum, deliberandum & concludendum bonam aliquam reconciliationem & pacificationem, vti pro maiori vtilitate & ſecuritate Reip. & ſingulatim ad liberationem harum ditionum ab omnibus exteris militibus ipſis videbitur expedire; planè iuxta inſtructionẽ quam à nobis habent, atq. ad hunc finem ſeſe obligandum deputatis præfatæ ſuæ Maieſt. Catholicæ; ea lege vt omnia ſint concluſa & conſummata intra ſex hebdomadas à primo die communicationis. Quibus elapſis tenebuntur ijdem deputati ſtatim huc reuerti, neq. vlterius tractare. Poterunt quoque

que ijdem deputati eligere tales personas, quas ipsis videbitur, qui illis opem ferant ac assistant, atque etiam Secretarium, quo vtentur ad omnia, quæ occurrent ad effectum prædictum: dantes ei facultatem & auctoritatem debitè annotandi, describendi, expediendi & signādi omnia acta. Promittentes bona fide, & sub obligatione nostri & cuiuslibet nostrûm, nostrorumque successorum singulatim & generaliter, vnà cum bonis nostris quibuscumque præsentibus & futuris, nos habituros gratum, ratum & firmũ in perpetuum omnia & singula puncta & articulos, quos dicti nostri deputati nostro nomine cõcordabunt & concludent, & omnia rata habere ac inuiolabiliter obseruare & obseruari curare, præstare & implere, nec iis vnquam contrauenire, vel pati contraueniri, directè vel indirectè, quocumque modo id fieri possit. In quorum testimonium, nos Mathias Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. has præsentes manu nostra propria subsignauimus, & sigillo armorum nostrorum muniuimus. Ac nos Prælati, Nobiles & Deputati supradicti ijsdem iussimus appendi sigillum nostrum cõmune, easq. signari per vnum ex nostris Secretariis. Antwerpiæ nono die Aprilis; Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo nono. Signatum *Mathias*, addita impressione sui sigilli; cui subscriptum erat, *De mandato suæ Serenitatis*. & subsignatum, *N. Sille*, ab altera parte subscriptum erat: *De mandato dictorum Ordinum*; & signatum *A. Blyleuen*. vnà cum magno sigillo rubræ ceræ impresso duplici cauda appendente.

LIT-

LITTERÆ PRINCIPIS AVRAICI.

Domino meo, Domino Duci Arschotano.

Ex lingua Gallica in Latinam translatæ.

EQVIDEM optassem, mi Domine, iter tibi felicius, quàm ex litteris tuis Breda scriptis accidisse intelligo. Spero tamen exiguã hanc profectionem aliquid profuturã, videlicet vt te magis misereatur eorũ, qui tam multo tempore cubandi in nauibus quasi opificium exercuerunt, idq. frequenter magno cũ periculo. Intereà etiam tuas accepi Neomago scriptas, pro quibus gratiã habeo. A discessu tuo Ordines generales acceperũt litteras à Statibus Artesij, quibus exponunt non fuisse opus pro pace Coloniã mittere, quoniã Imperator mora tẽpus extraheret: Verùm si vellemus Atrebatum mittere, legatos Principis Parmensis bonam pacem nobiscum inituros. Vnde facilè colligi potest Principem Parmensem in Artesio inuenisse homines idoneos ad promouendũ potiùs sua priuata negotia quàm publica totius Belgij. Id quod adhuc manifestius apparebat, ex eo quòd superioribus diebus Montibus Hannoniæ in Comitiis tractatum fuit, quò iuerunt Marchio Hauræus & Dominus de Fresin. Nam legati Artesij qui eò venerunt, proposuerunt Principẽ Parmensem mansurum Gubernatorem generalem Belgij tribus mensibus post discessum Hispanorum. Ex quo vides mi Domine, primùm eos velle gubernationem Domini Archiducis repudiare; deinde paulatim progredi, ac postea sua per otium stabilire. Ecclesiastici approbant id quod per Artesienses propositum est, & oppidum Montense videtur in eandem

eandem sententiam iturum, sed nobilitas & minora oppida non sunt eiusdem sententiæ: nihil tamen adhuc conclusum est. Dominus à Cruninga suæ Serenitatis nomine profectus est ad Dominum de Montigny, vt ei declaret quibus fraudibus erga ipsum Hispani vtantur; vti ipse videbit ex litteris interceptis quas Comes Lalenius misit: item vt ipsi indicet necessariũ esse vt semel statuat Flandria exire, quia quatuor membra Flandriæ nullo modo amplius ferre volunt, vt ibi colligat aliquas exactiones, vti hactenus fecit; quemadmodum tamen adhuc facere sperat vigore tractatus in monte S. Eligij cum Motta initi; alioqui fieri non posse, vt impediatur quin ipsi bellum inferatur. & profectò hi motus Flandrici planè labefactant omnes res nostras. Quodcumque euenerit, non deero quin te certiorem faciam. His commendo me tuæ beneuolentię toto animi affectu; Deúmque precor vt tibi, mi Domine, largiatur prosperam & salutarem vitam. Antwerpiæ postridie Cal. Maij, M. D. LXXIX.

Tuus beneuolentiss. frater & amicus ad tibi præstandum obsequium

Guilielmus de Nassaw.

POstea XII. Maij Domini Commissarij legatis Ordinũ quatuor puncta proposuerunt. Primum in effectu illud est, quod sequenti scripto Ducis de Terra-noua continetur. Secundum, quòd aliquot vitia in Mandato ipsorũ inuenirent, quæ tamen tũm non explicabant, nec eo minùs in caussa progredi se velle affirmabant. Tertium, quòd

quòd putarent expedire vt indutiæ indicerentur. Quartum, vt media proponerent, quæ cõstituendæ paci seruire possent.

SCRIPTVM DVCIS DE TERRA-NOVA.

Illustrissimi, Reuerendiss. Nobiles, & clarissimi S. Cæsareæ Maiestatis ad componendos motus Belgicos tum delegati, tum subdelegati, longè dignissimi.

DVx de Terra-noua à Serenissimo Rege Hispaniarũ Catholico ad instaurandam sui populi Belgici pristinam tranquillitatem, sollemniter constitutus Mãdatarius, partim intellectis iis quæ vestro iussu sibi hesterno die relata fuêre, partim etiam viso scripto, à Commissariis Ordinum eiusdem dicti populi exhibito, mentionem faciente de facultatibus, quarũ virtute tam Excellentissimus & Illustrissimus Princeps Parmensis Regius Gubernator, Locum-tenens & Capitaneus per Belgium generalis, quàm plerique alij nobiles negotio pacificationis ac reconciliationis populi cum legitimo iuxtà ac hæreditario suo Principe naturali sese immiscere, ac illud, quoad eius in ipsis est, promouere cõnantur; Respondendo proponit, dicit & declarat, quòd vobis Illustrissimis Cæsareis delegatis haud dubiè iam antèà satis superque innotuerit, & signanter per inspectionem originalis Regij Mandati procurationis, septima huius præsentis mensis in amplissimo vestro cõ-

uentu exhibiti, qualiter idem Sereniſſimus Rex Catholicus, tum ad ſeriam inſtantiam dictæ ſuæ Maieſt. Cæſ. tum etiam ſingularis ſuæ clementiæ, ac denique paternæ ſolicitudinis, tam orbi terrarum, quàm vniuerſo ſacro Roman. Imperio manifeſtandæ ſtudio, nihil ſanè promptius habuerit, quàm vt alacriter obſequens pio deſiderio eiuſdem ſuæ Maieſtatis, totius negotij componendi curam & poteſtatem illi, & Principibus ab ea delegandis, mira quadam animi fiducia concrederet, etiam peculiari miniſtro ad eum finem cum procuratione ſufficienti ad locum quò oportuit, ex Hiſpaniis deſtinato. Quo accidit quòd idem Dux ſupradictus ad id muneris cooptatus huc ſe in Belgium iampridem contulerit: & ſe quidem ſuffultus facultatibus ampliſſimis, prout luculenter fidem eſt facturus ipſemet tenor ſupradicti Regij Mandati.

QVANTVM igitur attinet ad pia conamina, tam ſupradicti Principis Parmenſis, quàm ceterorum miniſtrorum nobilium, omninò perſuaſum eſt dicto Duci, eiuſcemodi qualiacunque tandem illa ſint, haud aliò tendere, quàm vt ea qualitate, qua Regius eſt Locum-tenens & Gubernator generalis, ac proinde fretus amplitudine ſui Mãdati generalis, perbenignè cumprimis ſuſcipiat particulares prouincias, oppida & ciuitates, ſi quæ forſan præ ceteris magis auidè anhelantes ad priſtinam animorum tranquillitatem, ac præterea etiam ſponte memores debiti officij, quo obſtrictæ ſunt Regi, tanquam Principi ſuo naturali, ſuopte motu aſpirant ad ſalutarem reconciliationem. Illud autem

tem dicto Principi hactenus licuiſſe, & adhucdum licere, res ipſa manifeſtior eſt, quàm vt demonſtrato egeat. Quid enim res illa obfutura ſtudiis dictæ Maieſtatis Cæſareæ, atque adeò etiam ſuorum delegatorum, imò potius cur ni & profutura plurimum? tanquam paucioribus ſuperfuturis, quorũ gratia laborem & ſolicitudinem ſubire cogantur. Siquidem graue nimis foret ardentioribus in ſpontaneam reductionem ſui aditum præcludere.

CETERVM quod concernit ipſam generalem pacificationem ceterarum prouinciarum adhuc, prò dolor, laborantium, & ad debitam obedientiam nondum reductarum, nullum dubium eſſe poteſt, quin eius rei auctoritas, ſicut attributa eſt Cæſ. Maieſt. vobiſque Illuſtriſſimis eius delegatis; ita facultas tractandi, concordandi & concedendi quæcumque neceſſaria & opportuna videbuntur, haud dubiè impartita ſit dicto Duci ſoli & in ſolidum; prout conſtat ex Mandato iam antè producto, ad quod ſe refert.

XIII. Maij ad ſcriptum illud & duo alia puncta, nempe tertium & quartum, legati Ordinum ſequentem replicam & reſponſum primùm ore retulerunt, deinde in ſcripto ad requiſitionem Commiſſariorum exhibuerunt.

SCRIPTVM.

Reuerendissimi, Illustrissimi, Generose, Nobilis S. Cæs. Maiest. Commissarij.

QVÆ Celss. & Dign. V. hesterno die placuit Illustrissimo Duci Arschotano & reliquis nobis Ordinum legatis proponere, ad ea breuiter hæc nostra responsio est:

PRIMVM, quod ad scriptum illud Ducis de Terra-noua attinet, posteaquam Dominus Ioannes Austriacus, dum in viuis esset, Ordinibus declarauerit, sibi penitus tractandæ pacis commissionem ademptam fuisse, atque hoc ipsum non ita pridem scripto Generoso Comiti legato Cæsaris hic præsenti princeps Parmensis significauerit, affirmans omnem potestatem tractandæ pacis in Cæsarem translatam esse: Illustrissimus Dux & nos reliqui admiratione quadam ducimur, & S. Cæs. Maiest. eiusque Commissariorum autoritati parum honorificum esse censemus, Principem Parmensem de nouo sibi non solùm eâdem potestatem assumere & arrogare, sed eam quoque à Duce de Terra-noua comprobari: simul etiam quòd eos gratiores & honoratiores habeat, qui cũ Principe Parmẽsi, quàm qui iussu Cæs. Maiest. cum Cõmissariis ipsius de pace agere cupiant. Nihilominus super hac re nullã cupimus cum legatis Regiis disputationẽ inire, ne principali negotio aliquod impedimentũ obiiciatur, sed ea arbitrio & iudicio vestro consideranda relinquimus.

Non magna-perè clarasse videntur quibus modis, si non prouincias omnes, saltẽ aliquas in partes suas pertraherent, ex caussa quæ supra annotata est.

SECVNDVM de indutiis, Illustrissimus Dux & nos

& nos Sacr. Cæs. Maiest clementissimæ voluntati, quam aliquoties paterno animo suis litteris Ordinibus significauit, humillimè obtemperantes, contenti sumus, vt de indutiis ratio & tractatio ineatur; in quem finem condiciones quoque, sub quibus illas indici æquum sit, à Celss. & Dign. V. audire & intelligere cupimus.

Offerunt se ad indutias.

QVOD tertio loco de mediis, quæ constituendæ paci seruire queant, propositum fuit, Seren. Archidux Austriæ, Gubernator & Capitaneus generalis & Ordines Belgij ad S. Cæs. Maiest. litteras Illustrissimo Duci & nobis iniúxerunt: vt quæ placebunt Serenissimo Regi Catholico, Principi & Domino nostro naturali per suos legatos nobis proponere; vel quæ sibi ab Ordinibus præstari velit declarare, ea audiamus & cognoscamus: quibus auditis & cognitis, arbitramur meliori tum loco, tum ordine, quæ media necessaria erunt, sua sponte se oblatura. Actum Coloniæ XIII. Maij Anno LXXIX.

HABITA deliberatione ad ea Domini Commissarij legatis Ordinum exponi faciunt, sibi gratum esse responsum, quod tum super scripto Ducis de Terra-noua, tum super indutiis dedissent. Velle se ergo à prandio cum Duce de Terra-noua agere de cõdicionibus, quibus indutiæ iniri & indici possint.

ITEM gratum sibi esse dicebant, quòd intelligerent ipsos, omissis inutilibus disputationibus, ad principale negotium properare: similiter ergo se cum eodem Duce de Terra-noua nõ solùm super mediis, si quæ ille proponere velit, sed etiam

de via & ratione quam in hoc negotio sequi expediat, acturos.

QVOD ad Mandatum legatorum attineret, admonitionis ergô iterum & apertiùs vitia, quæ in eo inuenirent, declarant: nempe quòd nomina prouinciarum quæ Mandatum dedisse dicerentur, in specie non exprimeret; quòd nullam mentionem ciuitatum faceret, quæ præcipuè ramen ad hoc negotium pertinerent. Item quòd nô esset purum & absolutum, sed condicionale & restrictum per ea quæ in Instructione illorum continerentur. Vltimô, quòd sigillum nouum esset, quòd aduersa pars non posset nec vellet agnoscere; monere ergo vt de alio Mandato sibi prouideant, quod prædictis vitiis careat, sigillisque singularum prouinciarum munitum & roboratum sit, priusquam tractationi isti finis imponatur.

LEGATI Ordinum post actas gratias tam benuolè susceptí respôsi ipsorum nomine quàm factæ admonitionis, replicant, se ea quæ cõtra Mandatum suum dicta essent, perpensuros, & super iis suo tempore responsum daturos.

Cæsaris mandatum ad Dominos Cõmissarios, extenditur se ad omnes prouincias, sed etiam Terranouenses; particularium nisi quâ vlis mentio fit, ac si Parmesis cum quibusdã Terranouensis vero cum aliis intercedentibus Principibus agere debeat.

XVI. Maij, Domini Cõmissarij legatis Ordinum ostendunt, licere Principi Parmensi, virtute Mandati sui generalis, cum prouinciis & ciuitatibus, quæ se sponte ad pacificationem cum Rege offerrẽt, agere, nec intelligere se, huiusmodi tractationem aliquo modo Cæsareæ auctoritati repugnare, multo minus, se illam nomine Maiest. ipsius impedire posse: Sed rursus monent, vt de tali sibi mandato prouideant, in quo prouinciarũ & ci-

& ciuitatum nomina singulatim exprimãtur; si ex eo tum constare possit, Parmensem cum iis prouinciis vel ciuitatibus agere, quarum Mandato comparuissent, Terra-nouensem curaturum vt ea in re ipsis satisfiat.

QVOD ad indutias attinet, se diligenter de iis cum Duce de Terra-noua egisse, sed ad verba sua attendere ipsum noluisse, affirmando negotium esse in eo statu, quo indutiæ concedi non deberent. Progressu vlteriore facto, offerri posse ab illis talia media, quibus ad concedendum indutias commoueri possit.

EX hac ergo caussa, deinde per se visum illis fuit, vt ex parte Ordinũ ,ppositio mediorũ fieret.

HIS ita dictis, perierunt Legati Ordinum, si Dux de Terra-noua in scriptis illa exhibuisset, eorum exemplar sibi communicarent, vt meliùs super iis deliberare & respondere possent.

REPLICANT Commissarij, Terra-nouensem quidem scriptum quoddam edidisse, sed esse imperfectum; plura etiam ore eum proposuisse, quàm quæ scripto illo continerẽtur: ob hanc caussam & quasdam alias se non posse illis scriptum ipsius cõmunicare: sed iterum instant vt mediorum exhibitione legati Ordinũ principiũ faciant.

AD ea illi deliberationem petunt in diem Lunæ proximum, quæ illis concessa fuit.

XVIII. Maij, Legati Ordinum quæ sequenti scripto continentur, primùm ore exposuerũt; deinde ipsum scriptum Dominis Commissariis vnà cum sequentibus articulis exhibuerunt.

SCRIPTVM.

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, Generoſe, Nobilis, Sacr. Cæſ. Maieſt. Commiſſarij.

QVÆ Illuſtriſſimo Duci Arſchotano & nobis Ordinum legatis nomine Ducis de Terranoua reſponſi loco proximè expoſita ſunt, deinde quæ Celſs.& Dign. V. placuit quo ad Mandatum & media exhortationis ergô amico ac benigniſſimo affectu addere,ad ea breuis hæc noſtra reſponſio eſt:

Hic fuit Antonius de Lalaing, Dominus de Mouillerie.

PRIMO factum Principis Parmẽſis ſicut antè fecimus multo magis nunc, poſteaquam ſatis de eo ex proprio Sereñ. Archiducis Auſtriæ legato Celſs.& Dign. V. inſtructæ ſunt, earundem iudicio & arbitrio relinquimus: Illuſtriſſimo tamen Duci & nobis Parmenſis tractatio, quæ non vltrò oblata, ſed quæſita & ſollicitata eſt, non poteſt vel legitima vel conueniens generali huic tractationi videri.

Quò ſpectauerit, euentus declarat.

QVOD ſecundo loco iterum de Mandato motum fuit, daturi operam ſumus ſuo tempore, ne vlla controuerſia vel nullitas ratione Mandati & prouinciarum, quarum nomine huc comparuimus, exoriri poſſit.

TERTIVM de indutiis, prouinciæ noſtræ à Sacr. Cæſ. Maieſt. aliquoties admonitæ fuerunt, ne ſe in indutiis admittẽdis præberent difficiles: quapropter clemẽtiſſimę ipſius voluntati humillimè nos ſubiicere voluimus. Arbitramur ſimilem admonitionem Ducem de Terra-noua vel coràm vel per litteras à Cæſ. Maieſt. accepiſſe. Quãobrem

rem cùm eæ nunc à Celſs. & Dign. V. qui Maieſtatis ipſius Commiſſarij eſtis,propoſitæ & poſtulatæ ſint, non ſine grauiſſimis, quæ hîc ſe quamplurimæ,tum reſpectu Cæſ. Maieſt. & veſtrę condicionis, tum perſonarum inter quas præſens bellum geritur, offerunt cauſſis, miramur eas ab Excell. ipſius denegatas eſſe. Verùm ſicut bellum vel pacem, ita etiam indutias Deo Opt. Max. in primis,deinde Celſs. & Dign. V. committere volumus.

QVARTO, quod ad media attinet, etſi multas hîc cauſſas habeamus, cur non à nobis, ſed à Regiis legatis principium fieri debeat; tamen ad Celſs. & Dign. V. amicam & gratioſiſſimam exhortationem libenter etiam nos in hac parte demittemus.

LOCO ergo mediorum ſincerè & ſimpliciter ea exhibemus, quæ petenda & agenda à Sereniſſimo Archiduce Auſtriæ, Gubernatore & Capitaneo generali, & Ordinibus in mandatis accepimus; in quibus ſi aliquid reperiatur quod maiori declaratione opus habeat, Illuſtriſſimus Dux & nos parati ſumus eam quouis tempore, à Celſs. & Dign. V. admoniti, facere.

Rogamus etiam Regios legatos, quò hoc ipſum præſtent,veſtra auctoritate induci,ne quod hactenus fecerunt, reſponſa ſua nimis diu extrahant. Eſt enim mora illa non ſolùm nobis grauis, ſed & damno cauſſæ futura, cùm tempus quod nobis ad agendum præſcriptum eſt, prout ex Mandato noſtro conſtat, pro bona parte iam effluxerit.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

ARTICVLI ET CONDICIONES loco Mediorum propositi.

Ex lingua Gallica in Latinã de verbo ad verbum translati.

I.

CONCEDETVR vtrimque perpetua obliuio, siue ἀμνησία omnium eorum quæ facta sunt à tempore primorum motuum & caussa illorum, quocumque loco & modo, tam generaliter quàm particulariter: ita vt eorum nulla fiat amplius mentio, exprobratio aut inquisitio, quasi ea numquam accidissent.

II.

Ratio huius art. ad eundem secũdò editum redditur & exponitur.

Rex Catholicus habebit ratũ ac gratum, quicquid factum, contractum, constitutum, decretum, cõclusum, definitum, prouisum, collatum, aut quoquo modo actum est, per Serenis. Dominum Archiducem Austriæ Matthiam, Concilium Status, Ordinesque generales ac particulares, tam id quod concernit negotiũ bellicũ, quàm politicũ.

III.

Hac particula in secundis articulis iuris dispositioni relinquitur.

Rex promittet rata habere, & tenore præsentium rata habebit, non modò omnia priuilegia, iura, vsus antiquasque consuetudines cuiuscumque prouinciæ, ciuitatis & territorij; verumetiam consentiet ac concedet, quòd omnes prouinciæ generaliter, & quælibet earum singulatim, poterunt frui & fruentur priuilegio Brabantiæ, videlicet vt liberati sint à suis iuramentis & fidelitate; eo casu, quo Princeps non obseruat omnia antedicta priuilegia, vsus & consuetudines. Secundùm quod priuilegium si contingat eadem priuilegia, consuetudines aut articulos hac in pace concluſos infringi,

fringi, dictæ prouinciæ erunt generaliter liberatæ à suo iureiurando; poteruntq. eligere talem Gubernatorem vel Principem, qualis ipsis videbitur, tam vt omnes prouinciæ, quoad istud, sint æqualiter priuilegiatæ, quàm etiam quòd secũdum ius & rationem (cùm iusiurandũ & obligatio Principis & subditorũ sint reciproca;) prouinciis sine alio priuilegio vel constitutione id liberum sit.

IIII.

OMNES milites Hispani, Itali, Burgundiones, Germani, Franci, Angli, Scoti, omnesque alij extranei indifferenter vtriusq. partis, egredientur ex ditionibus Belgicis, intra terminũ sex hebdomadum. Intereà tamen Princeps Parmensis deseret ilicò oppida & loca quæ occupat vel detinet, post inuasum Namurcum; qualia sunt, Arx & ciuitas Namurcensis, Carolomontium, Bouinæ, Philippo-villa, Louanium, Leevva, Diestum & alia, eaque reddet Ordinibus, vnà cum tormentis bellicis, munitionibus & commeatu. Et eorũdem extraneorum loco collocabuntur in oppidis & arcibus vbi expedire videbitur, milites naturales Belgij, qui steterunt à partibus Ordinum, idque consensu & approbatione Ordinum generalium, ac notanter eius prouinciæ vbi collocabuntur.

V.

QVI quidem milites, præter fidelitatẽ, quam iurabunt Regi Catholico vt prouinciarũ Principi & legitimo domino, iurabũt etiam fidelitatem Patriæ Ordinibusque generalibus & particularibus prouinciarum, quas ingredientur, ac notanter obseruare articulos in hac pace concluſos.

VI.

HAYROBA BIBLIOTEKA OHYRN. I.J. MECHINSKA

VI.

OMNES captiui vtriusque partis liberabuntur sine aliquo pretio redemptionis, si modò ante huius pacis communicationem non fuerint aliter obstricti: ita tamen vt teneantur respectiuè expensas soluere. Si qui etiam anteà promiserunt redemptionis pretium soluere, tenebuntur etiam satisfacere suæ promissioni.

VII.

ET quia Comes Buranus extra oppidum & Academiam Louanienſem ſine cauſſa extractus eſt, vectuſque ex Belgio contra priuilegia tum dictæ Academiæ, tum Ducatus Brabantiæ; idem Comes ſtatim reſtituetur in libertatem, & remittetur in oppidum Antwerpienſe intra terminum duorum menſium.

VIII.

QVILIBET vtriuſque partis reſtituetur & regredietur in ſua bona immobilia, non obſtante quacunque alienatione facta à tempore Pacificationis Gandauenſis; atque etiam in bona mobilia, non diſtracta aut alienata.

IX.

FIET etiam reſtitutio bonorum in Burgundia, Luxemburgo, Hollandia, Zelandia, alijſque locis, vbi Pacificatio Gandauenſis nõ fuerit adimpleta, tam eccleſiaſticis, Principi Aurangiæ, quàm omnibus aliis, iuxta dictam pacificationem.

X.

OMNES naturales Belgij vtriuſque partis poterunt liberè in Belgium reuerti, ibique habitare, ea lege vt præſtent iuramentum fidelitatis, tam Regi

Regi quàm Patriæ ac Ordinibus generalibus & particularibus, atque adeò ſeſe obſeruaturos omnes articulos huius pacis.

XI.

PACIFICATIO Gandauenſis manu tenebitur & obſeruabitur.

XII.

ITEM in iis prouinciis, ciuitatibus & locis vbi religio quæ dicitur Reformata, Confeſſio Auguſtana, vel pax religionis (dicta *Religions-friedt*) recepta eſt, omnia permanebunt in ſuo ſtatu, ita vt à neutra parte contraueniri poſſit. Qua in re nulla debet fieri difficultas; quia aliter poſſibile nõ eſt inuenire media alicuius bonæ & ſecuræ pacis, tranquillitatis, & quietis publicæ. Et ſiquis in poſterum vellet alium ordinem inſtituere, hoc nihil aliud eſſet, quàm motus inchoare, & nouas calamitates ac ruinas reducere, abigendo innumeros homines, qui ſecum tranſportarẽt vniuerſam negotiationem & opificia, ac per cõſequens omnem ſucceſſum Belgij, vti ſuperioribus annis viſum eſt. Adde quòd inhabitatores Belgij non ſunt diſpoſiti, vt ſinant ſe fugari extra ſuam patriam, atq. ita redigi ad extremã inopiam, in quã neceſſariò incidunt, cùm priuãtur ordinaria ſua mercatura, opificio vel aliis muneribus, officiis aut vacationibus, quorũ medio ſeſe cũ vxoribus & liberis ſuſtẽtant.

XIII.

GVBERNATIO generalis Belgij manebit penes Sereniſs. Dominum Archiducem Matthiam, iis condicionibus quas iurauit. Quem ſi contingat mori, vel ſi fortè ſeſe vellet aliò conferre, Regia

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

gia Maiestas non poterit committere alium Gubernatorem nisi gratum Ordinibus, ex suis liberis aut sanguine legitimo: qui tenebuntur iurare eosdem articulos ac condiciones, super quibus receptus fuit dictus Dominus Archidux.

XIIII.

NVLLI in posterum admittentur ad gubernacula prouinciarum, ciuitatum, castrorū & fortalitiorū, Capitaneatus aut præfecturas militum, neque ad consilia Status, secretum aut financiarum, aut alia officia magni momenti, nisi naturales Belgij & bene idonei, qui steterunt à partibus Ordinum, vt suprà, ac grati erunt prouinciis ac ciuitatibus ad quas mittentur. Qui primùm & antequam admittentur, tenebuntur sollemniter iurare hanc pacem, & particulariter etiam manutenere & obseruare priuilegia, consuetudines, iura & vsus generales & particulares Belgij: ac iureiurando promittere, si resciscant aliquid tractari in eius præiudicium, quòd ea de re certiores facient Ordines generales & particulares prouinciarum, sub pœna quòd habendi sunt pro periuris.

QVIA verò Belgium incidit in has calamitates & miserias ortas ex bello, quod natum est ex infractione quōdam Domini Iohannis Austriaci; quodq. etiam Ordines coacti fuerunt exponere magnas summas pecuniarum Colonellis, Capitaneis & militibus, quorum solutio priuatim ad Regem pertinebat, sub ea spe quòd in futurum Belgium in tranquillitate conseruaretur: sua Maiestas Catholica Ordinibus restituet eam summam, quam militibus soluerunt, ad minus vsque ad de-

ad decies centena millia coronatorum, eosq. exonerabit à reliquis obligationibus, quas dictis militibus dederunt: quia condiciones, sub quibus eæ promissæ sunt, non sint adimpletæ.

ET quia Ordines sunt obligati Serenissimæ Reginæ Angliæ propter sinceram amicitiam, vicinitatem, & auxilium quod illis præstitit ad vtilitatem publicam; ipsa comprehendetur reciprocè in hoc tractatu, in confirmationem antiquorum fœderum perpetuò conseruatorum inter Principes tam eius regni quàm Belgij.

SIMILITER comprehendetur in eodem hoc tractatu Illustriss. Dux Andegauensis Regis Christianissimi frater, tanquam defensor libertatis Belgij, cū recognitione, quam Ordines ipsi promiserunt proponere & concludere; quoniam tam liberaliter atq. heroicè operam nauauit eorum defensioni ac conseruationi. Vti etiam comprehendentur omnes alij confœderati dictorum Ordinum.

SVPPLICABITVR suæ Sanctitati, Cæsareæ Maiest. Regi Christianissimo, Reginæ Angliæ, Duci Andegauensi defensori libertatis Belgicæ, omnibus Principibus Electoribus Germaniæ, Duci Iuliacensi, tamquam studiosis vtilitatis & tranquillitatis Reip. Christianæ, vt ijs placeat efficere, vt hic tractatus in omnibus suis partibus compleatur & inuiolabiliter obseruetur.

HIC tractatus reciprocè iureiurando sollemni, super sancta Euangelia præstito, confirmabitur, & à Rege approbabitur, intra terminum duorum mensium aut citiùs, si fieri potest. Actum Coloniæ XVII. Maij, Anno M. D. LXXIX.

XIX.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУМ ім. М. МЕЧНИКОВА

XIX. Maij, Domini Commissarij ante prandium, miserunt ad ædes Ducis Arschotani quosdam ex suis Consiliariis nobiles & Doctores, quibus præsentibus Cancellarius Treuerensis Duci & reliquis Ordinum legatis declarauit; Principes suos legisse & examinasse articulos, & media quæ præcedenti die proposuissent & exhibuissent, sed inuenisse eos adeò irrationabiles, duros & enormes, tam remotos etiam à prioribus pactis & conuentis, vt nec Imperator, nec Rex, nec Dux de Terra-noua velint aut possint ad eos attẽdere: postulare ergo & admonere, vt repetant & sequantur vestigia præcedentium tractationum & pacificationum. Hanc enim esse intentionem Imperatoris, eoque etiam ipsorum Mandatum directum esse, vt secundum illa quæ iam antè pacta & concordata sunt, præsens tractatio habeatur, & reconciliatio inter Regem & ipsos ineatur. Quæ medio tempore inciderunt, ad illorum normam & formam vtrimq. reducantur & restituantur. Sic etiã fieri posse, vt citiùs & faciliùs indutiæ concedãtur.

Cvm hæc Cancellarius dixisset, legati Ordinum petunt ea in scriptis sibi dari, in eum finem, vt dicebant, ne quid aliud intelligerent aut scriberent, quàm hoc ipsum quod Domini Commissarij intellectum & scriptum vellent: simul tamen addebant per se non stetisse, quominus priores tractatus custoditi & seruati fuerint; imò magnũ dolorem se percepisse, cùm viderent tum per Regem, tum etiam per Dominum Iohannem Austriacum illos infringi & rescindi. Rem enim ita se habere: Regem Ordinibus per Baronẽ de Selles de-

les declarasse, quòd nollet Pacificationem Gandauensem obseruare, sed regere regiones suas in ea forma religionis sub suo imperio & obedientia, in qua tempore Imperatoris Caroli defuncti sui patris erant. Eam declarationem multas mutationes in singulis prouinciis secutas fuisse, cùm subditi inde occasionem arripuerint, quasi tractatibus istis amplius obstricti non essent. Per illas porrò mutationes, res ipsorum in eum statum redactas esse, vt tractatus illi præcedentes seruari diutius nequeant, nisi liberaliore aliqua concessione & indulgentia adiuuentur & augeantur, secundùm ea quæ in articulis suis exposuissent. In quibus si aliquid difficultatis inuenirent, rogabant vt ea sibi in specie declararent, non dubitare quin ipsos contentos redderent.

Qvod ad memoratas indutias attinet, Ordines generales Cæs. Maiest. clementissimæ voluntati acquiescentes, Mandatum sibi dedisse inquiebant, vt in eas sub æquis condicionibus, quas à parte aduersa obtinere possent, consentirent: sic cessatione ab armis per Dominos Commissarios sibi proposita, de ea iam antè se declarasse dicebant; & in præsenti iterum se declarare, quòd prompti & parati sint eam ex parte sua facere: ea ratione maximè, cùm in omni tractatu de pace, indutiæ primum locum habere soleant, multo æquissimum sibi videri eas hîc concedi & præcipi, ob causas quas antea declarassent. Obnixè igitur rursus eas à Celss. & Dign. eorum petere, vt semel vellent super condicionibus earum agere.

Simvl etiam prædicti legati Ordinũ Consiliarios

siliarios illos rogabant, quò meliùs ea quæ ad negotium istud pertinent, cognoscere & promouere possent, non grauarentur familiariter nonnunquam super iis secum conferre & communicare.

XX. Maij,

LEGATI Ordinum ad Concilium Dominorum Commissariorum vocati, hora octaua ante prandium, iis indicant, intellexisse se responsum, quod præterito die Cõsiliariis suis dedissent, ad ea quæ nomine suo ipsis proposita erant. Nihilominus propter rationes, quæ tum in medium allatæ fuerunt, & iterum hîc repetebantur, postulabant ab iis denuò, vt vellent insistere vestigiis Pacificationis Gandauensis, & Tractatus Bruxellensis, si quæ in iis infracta vel non obseruata essent, vt illa indicarent & proponerent, aliaq. media iis cõformia exhiberent; se velle operam dare, vt in pristinum statum priora restituantur, Regiq́ue reconcilientur. Hoc facto, se Ducem de Terra-noua inducturos, vt in cessationem ab armis consentiat; addentes se aliter super articulis, qui ab ipsis exhibiti essent, tractare non posse; imò si in iis persistere vellent, se aliam viam non inuenire, quàm vt suam instructionem sequantur, & secundum eam vlterius progrediantur.

LEGATI Ordinum ad ea deliberationem in diem proximum petierunt.

XXI. Maij,

DELIBERATIONE inter legatos Ordinum habita, an insisterent prioribus articulis, vel potius alios iuxta secundã suam instructionẽ exhiberent, visum

visum illis est, pro defensione priorum articulorum, ea quæ sequenti scripto continentur exponere. Audientia ergo à prandio impetrata, ore ista retulerunt: deinde dictorum exemplar, à Dominis Commissariis petitum, incontinenti quoque exhibuerunt.

SCRIPTVM.

Reuerendissimi, Illustrissimi, Generose, Nobilis, Sacr. Cæs. Maiest. Commissarij.

QVÆ Celss. & Dign. Vis placuit hesterno die, contra articulos, ab Illustrissimo Duce Arschotano & nobis Ordinũ legatis exhibitos; quasi paulo essent duriores, atque etiam contrarij prioribus pactis & cõuentis, obiicere & declarare, cum amica, benignissima, & benetuola petitione & exhortatione, vt media moderatiora, & quæ illis pactis propiora essent, proponeremus; quò etiam, quantum intelligere potuimus, instructio, quæ à Sacr. Cæs. Maiest. Celss. & Dign. Vis. data est, se se dirigit: ad ea quæ latiùs per Dominum Cancellarium deducta & explicata fuerunt, hæc nostra responsio est.

ARTICVLI, quos Mediorum loco exhibuimus, sunt ij, qui Illustrissimo Duci & nobis petendi & agendi à Sereniss imo Archiduce Austriæ, Gubernatore & Capitaneo generali, & Ordinibus mandati & traditi sunt.

NEC vllo modo videre possumus, eosdem illos articulos tantam duritiem in se continere, quæ in iustam reprehẽsionem venire possit; nec etiã vllus articulus est, si rectè consideretur, qui prioribus

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

pacificationibus contrarius sit, sed agnoscimus quædam addita, tum propter præsentes necessitates, tum maioris declarationis gratia, quæ omitti potuissent, si Dominus Ioannes Austriacus fidem quam Ordinibus dederat, in istis non fefelliſſet; nec etiã Baro de Selles Regius legatus postea declarasset, voluntatem Regis non esse, vt ea quæ ibi pacta & conuenta essent, obseruarentur; nihil tamen additum putamus, quod à Regia pietate, hoc statu rerum, non possit aut debeat impetrari, aut quod non ex priuilegiis & iuribus nostris deberi nobis clarissimè docere possimus.

QVAMOBREM optassemus Celſ. & Dign. Vis placuisset duritias istas & contrarietates in specie nobis indicare (non enim omnes articulos pro talibus haberi existimamus) tum non solùm solicitudini vestræ, quoad duritias & contrarietates istas, fortassis satis fecissemus, sed & meliùs & ad rem propiùs etiam nunc respondere potuissemus. Similiter etiam optassemus nomine Regiorum legatorum nobis declarari, quæ media ipsi proposuerint, an gratæ illis sint priores pacificationes: quòd si gratæ illis sunt, frustra sibi & nobis tantas miserias & calamitates ab eo tempore induxerũt.

NIHILOMINVS vt cognoscat Celſ. & Dig. Vr, nos nihil quàm quod pium & iustum est, proponere nec desiderare: Primò, circa quæ dissidiũ, vel potiùs aberratio inter Sereniſſimum Regem Principem & Dominum nostrum naturalem, & Ordines versetur, indicabimus: deinde in quibus iam antè conuenimus, & quid adhuc definiendum restet, ostendemus: Ita poterunt Celſ. & Dign.

Dign. Vr non modò æquitatem articulorum, sed & statum totius negotij faciliùs intelligere.

DVO sunt præcipuè, circa quæ est aberratio: Vnum circa religionem, alterum circa auctoritatem: Quæ præterea vel olim vel nunc sunt in controuersia, aut ad restitutiones & emendationes ablatorum & iniuriarum, aut ad securitates vtrimque præstandas pertinent, quæ causam & originem habent ex bello, quod tanto tempore gestum est. Primis ergo duobus capitibus transactis & cõpositis, speramus facillimè & ista transigi & componi posse.

ARTICVLVS de religione præ ceteris grauissimus est, ex ea ratione, quòd religio non ad homines, sed ad Deum spectet; non hominibus, sed Deo præstari debeat; cui nõ minus populus quàm Rex subiectus est, sed vtrisque, tum Regi, tum populo ex æquo obseruatio eius præcepta est; ex æquo etiam ambo vel vitam vel mortem æternam sperant & metuunt, si aut bene aut malè in religione versati fuerint. Itaque ambo etiam, & Rex, & populus, (cùm populũ dicimus, simul etiam vnumquemq. singulatim intelligimus) Deo iuxta suam conscientiam seruire postulat.

ISTIVS cõsideratione, & quòd etiam experimento nimis verum esse didicerũt, parum vim & arma ad propagationẽ & conseruationem religionis conferre: deinde prout nolunt suis conscientiis vim vllam adhiberi; ita legi Dei non conuenire, vt ipsi aliorum conscientiis vim vllam adhibeant. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

ILLORVM ergo consideratione primùm in Pacificatione Gandauẽsi consensu consilij Regij:

EUROPEANA BIBLIOTEKA OBYWATELSKA

deinde etiam in pacificatione Bruxellensi, quæ à Rege comprobata est, omnia Edicta, quæ contra assertos hæreticos lata fuerant, suspensa sunt, & in effectu abrogata.

Quo facto omnino cõfidimus, Sereniſſimum Regem saltem tacitè ostẽdere voluisse se non statuisse vllum posthac ad religionem suam cogere, sed vnicuique permittere vt domi suę in quocumque loco habitet sine vlla persecutione & offensione liberè pro sua conscientia Deo seruire posset. Hoc ergo vnum est quod cõcessum & conuentum esse putamus, & concordat cum lenitate & voluntate Christi, cum vsu primitiuæ ecclesiæ & cum doctrina patrum.

Quod verò definitum non est, ad publicum exercitium religionis pertinet. Est tamen in eo quoque in dictis pacificationibus conuentum, quòd Sereniſſimus Rex noster Ordinum arbitrio hanc rem commiserit.

Circa istud primùm attendi cupimus, nos indies videre & experiri, quo maior vis religionis nomine hominibus inferatur, eo statum Catholicæ Romanæ ecclesiæ deteriorem fieri.

Imò manifestè deprehendimus, cùm Regis consilium & propositum non sit aliud, quàm Cathol. Rom. Ecclesiam, eiúsque cultores conseruare, tueri ac defendere; eius tamen Vicarios & exercitum semper perdendis iis occasiones præbuisse, & adhuc præbere hodie.

Ordines verò sibi mutuò condolẽtes, cùm Regi hactenus non libuerit, in tanta membrorum suorum diuulsione & infirmitate per præsentiam suam

suam iis opitulari & succurrere, nec ipsis amplius aditus ad Regẽ nisi cum vitæ discrimine pateat, vt veritatem status corporis sui cognoscere possit, conati sunt seipsos variis remediis recreare. sed cùm caput ipsis aduersum sit, & contrariis remedijs, quàm membris conueniat, vtatur, quos Rex potissimùm conseruatos voluit, eorum condicionem & facultates de die in diem in peius vergere & dilabi animaduertimus.

Quomodocunque istud accidat, hoc certum est, euenta omnia ostendere & demonstrare media quibus Rex contra nos vtitur, ad eum finem, cui Maiest. eius ista destinauit, non seruire, sed prorsus contraria operari. Ergo non eo loco quo bona, sed quo mala haberi debent.

Magnum mysterium est religio Christiana, ad quam promouendam Deus non impio milite, non arcubus & gladio: sed spiritu suo, & Pastoribus à se missis vtitur.

Sed ne longiùs à proposito nostro digrediamur, ex his causis, quas modò breuiter attigimus, Serenis. Regem Dominum ac Principem nostrum naturalem demississimis animis rogatum volumus, vt placeat Maiest. ipsius semel à mediis, quibus nunc vtitur, desistere. Quandiu in his angustiis & miseriis constituti sumus, nec Ordinibus nec subditis vlla requies suppetit, vt super ijs, quæ ad pietatem, quoad Deum & Maiestatẽ eius pertinent, ita vt oportet intenti esse possint: sed omnes in eo laborant, quò se aduersus iniurias Hispanorum defendant & tueantur.

Neutros tamẽ pertinaciter in opinione sua

HANNOVER BIBLIOTEKA OHV IN.L. MEDICINA

perſeuerare velle exiſtimandum eſt, nec Regis voluntati, quoad religionem veram, vllo modo reſiſtere, ſi poſtea quieti reſtituti repererint ſe in aliquo articulo aberrare. Quis enim eſt qui ſciens ſeipſum æternis cruciatibus dedicare velit? Quapropter obnixiſſimè Ordines rogant, quod ad publicum exercitium alterius religionis, quam quæ Cathol. Romana eſt, attinet, quod poſt prædictas pacificationes pluribus in locis, quàm antè erat, introductum & inſtitutum eſt, vt pro neceſſitate, in qua conſtituti ſumus, & ex cauſis, quas ſuprà enarrauimus, Rex hanc beneuolentiam & amorem prouincijs noſtris clementiſſimè præſtare velit, vt placeat Maieſt. ſuæ, eos ſubditos, qui ſunt alterius religionis, in hac parte quoque conſcientijs ſuis relinquere, & religionis publicum exercitium iuxta tenorem articulorum, qui à nobis exhibiti ſunt, indulgere.

HANC vnicam viam vnà cum vera pœnitentia eſſe putamus, qua Dei iram erga nos auertere poterimus, quod alijs fortaſſis mirum videbitur, nobis autem non ita, qui inter calamitates iſtas didicimus regimẽ animarum & conſcientiarum ad ſolum Deum pertinere, eumque verum religionis læſæ vindicem eſſe; item vnicum hunc eſſe modum, quo & Regi Catholico Domino & Principi noſtro naturali debita ſua obedientia reſtituatur, & nos ipſi inter nos ad mutuam concordiam & amorem redeamus.

QVI modus præterea etiam magis amplectendus eſt, quòd multis euentis eum ad concordiæ & pacis conſtitutionem inter Principem, Magiſtratum

tum & populum vtilem & ſalutarem eſſe in multis regnis, prouincijs & ciuitatibus comprobatum ſit. Atque hæc de Religione.

SECVNDVM, in quo diximus aberrationem aliquam inter Sereniſs. Regem noſtrum, & inter Ordines exiſtere, circa auctoritatem Regis verſatur. quæ non ex culpa noſtra, nec etiam, vt ſperamus, ex voluntate Regis, ſed ex iniuria & ignorantia Gubernatorum nata eſt.

AT maiori ex parte definita eſt hæc quoque controuerſia per priores pacificationes, quibus ſingulis prouincijs pacta, libertates, iura & priuilegia ſua ſalua & illæſa à Rege promittuntur.

VICISSIM Ordines per eaſdem pacificationes Sereniſs. Regi Catholico, Principi ac Domino ſuo naturali, omnem obedientiam, quam ſecundùm mutua iſta pacta, libertates, iura, priuilegia ſua, Maieſt. eius præſtare debent, addicunt & promittunt.

NEC ab eo tempore quicquam noui in hoc articulo acceſſit, quàm quod in receptione Sereniſs. Archiducis Auſtriæ, ſecundum prædicta pacta & iura, poteſtas Gubernatoris & reliquorum Conſiliariorum & Officialium per certas condiciones, vt poſthac mala, in quæ nunc per Gubernatores & Conſiliarios incidimus, euitentur, declarata & reſtricta eſt.

Auguſtiũ quidã atq. firmum eſt ſocietas generis humani, ad illam tamẽ vel ſtabiliendam, vel euertendã, maximum habet momẽtum Magiſtratus. Plato in Polit. vel in libro De regno.

HAS condiciones ſperamus Sereniſs. Regi, cùm non ad imminutionem auctoritatis ipſius, ſed ad iniurias & iniuſtitias Gubernatorum & Conſiliariorum præcauendas; deinde vt quod fieri debet, viri ſapientes & iuſti, in quibus non minus quàm

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

in ipsis legibus salus Reip. posita est, dignitatibus & officijs præficiantur, in electionibus & ordinationibus eorum additæ & constitutæ sint. eas, inquam, speramus Maiestati ipsius non displicituras; sed easdem consensu suo comprobaturam.

HÆc breuiter ita Cels. & Dign. V. ad defensionem articulorum, quos iussu Sereniss. Archiducis Austriæ & Ordinũ exhibuimus, item ad declarationem eorundẽ referre & aperire voluimus. Si quid adhuc amplius in his vel aliis articulis desideretur, vel tanquam durius offendat: Illustrissimus Dux Arschotanus & nos amicè & humillimè petimus, in specie nobis ista proponi; parati sumus quauis hora super iis intellectum & mentem nostram declarare. Factum Coloniæ xxj. Maij Anno M. D. LXXIX.

XXIII. Maij, ad legatos Ordinum, qui in ædibus Ducis Arschotani congregati erant, venerunt aliquot Dominorum Commissariorum Consiliarij, Nobiles & Doctores, vnà cum Cancellario Treuerensi. hic ordiens, inquit, se vltimum scriptum illorum perspexisse, & penitiùs articulos ab ipsis exhibitos examinasse; sed reperisse se in iis quamplurimas difficultates & obscuritates; & primo loco articulo secundo: vbi petunt vt Rex gratum & ratum habeat, quicquid factum, contractum, constitutum per Archiducem Austriæ Matthiam, Concilium Status Ordinesq; fuit, ea dicta sibi videri nimis generalia; rogare ergo vt ea speciatim declarare velint.

PORRO in articulo tertio; non solùm petere Ordi-

Ordines approbationem priuilegiorum quę cuiq. prouinciæ & ciuitati competunt, sed simul etiam vt reliquæ prouinciæ frui possint priuilegio Brabantiæ: & aiebant rationi cõsentaneum sibi videri, vt Princeps custodiat & seruet singulis prouincijs priuilegia, statuta, & consuetudines eorum; sed cùm sibi de priuilegio Brabantię nihil constet, petunt exemplum eius exhiberi: addentes; antequam possit virtute istius priuilegij, propter infractionem eius, alius Princeps eligi, requiri vt præcedat declaratio. Nũc sicut graue foret Prouincijs, si declaratio ista per Regem fieret; ita absurdum & iniquum Regi visum iri, eandem declarationem per Prouincias in propria sua caussa fieri.

ITEM quod decimotertio articulo dicitur, vt illi Gubernatores quos Rex in posterum ordinare posset, obstringantur ad eosdẽ articulos & conditiones iuranda, super quibus Archidux Matthias receptus fuit, cùm eorum quoque notitiam nullam habeant, petunt similiter illorum visionem & exhibitionem.

QVOD articulo decimoquarto petitur, vt nulli admittantur ad gubernacula prouinciarum, ciuitatum, quàm solùm indigenæ, vel naturales, qui partes Ordinum secuti sunt; nimis sibi durum videri, sine discrimine omnes illos excludere velle, qui à partibus Regis steterint. Quare præstare vt in hac parte aliqua fiat mitigatio.

DEINDE articulo decimoseptimo titulum defensoris libertatis Belgij attribui Duci Andegauensi, nihil aiebant ad hoc negotiũ pacificationis conferre: sed magis ad irritandã & exulcerandam

aduer-

HAVRORA BIBLIOTEKA CHYŻ M. H. MIELNICKA

aduersam partem seruire. Quare melius sibi videri ab eo titulo abstinere.

VLTIMO inquiebant plures se adhuc difficultates in ijsdem articulis inuenire, sed quas vellent iudicio legatorum Ordinum considerandas relinquere: darent operam vt lenirent & mitigarent suos articulos, quo occasionem haberent vlterius progrediendi.

ORDINVM legati deliberationem ad ea petierunt in diem crastinum.

XXIIII. MAII, Ordinum legati consilium inierunt, an præstaret solùm ad difficultates, quæ præterito die propositæ erant, Dominis Commissarijs respondere, an verò ne tempus perderent, respondendo & replicando, exhibitionem articulorum, iuxta secundã suam Instructionem facere. Hæc opinio inter eos præualuit. Quare altero die, nempe XXV. præmissa breui præfatione, quæ vna in scriptis data fuit, articulos sequentes exhibuerunt; ijsque exhibitis, quædam ore addiderunt, prout sequitur.

PRÆFATIO.

Reuerendissimi, Illustrissimi, Generose, Nobilis S. Cæs. Maiest. Commissarij.

AD ea quæ heri & antè, ratione obscuritatum & difficultatum, quæ se in articulis, ab Illustrissimo Duce Arschotano, & nobis Sereniss. Archiducis Austriæ Gubernatoris & Ordinum legatis, exhibitis offerre & moueri posse videntur, proposita sunt,

ta sunt, ne vllum impedimentum aut mora tractationi inceptæ per nos inducatur, & vt amicæ, gratiosissimæ, gratiosæ & beneuolæ exhortationi & petitioni vestræ acquiescamus, conati sumus priores articulos, quantum à nobis fieri potest, iuxta Mandatum quod accepimus, lenire & mitigare, quibus obscuritates & difficultates, quę heri obiectæ sunt, & quæ adhuc obijci fortè possent, Celss. & Dign. V. magna ex parte remotas & sublatas esse inuenient. Eos articulos iisdem Celss. & Dign. V. exhibemus, cum hac necessaria declaratione, nos nihil amplius, quàm quod his continetur, præstare posse; vti nec præsens status rerum nostrarum, & necessitas, in quibus versamur, amplius aliquid ferunt aut permittunt.

Instructio enim legatorum Ordinum ad istos articulos restricta fuit.

ARTICVLI.

I.

CONCEDATVR vtrimque perpetua obliuio siue ἀμνηστία omnium eorum quæ facta sunt à tempore primorum motuum, & caussa illorum, quocũque modo aut loco, tam generaliter quàm particulariter, ita vt eorum nulla fiat amplius mẽtio, exprobratio aut inquisitio, quasi ea nunquam accidissent.

Concordat cum pacificatione Gandauensi & Edicto perpetuo art. 1.

II.

REX Catholicus habeat ratum, & gratum quicquid factum, contractum, decretum, conclusum, definitum, prouisum, collatum, aut quoquomodo actum est per Sereniss. Dominum Archiducem Austriæ Matthiam, Consilium Status atque Ordines, tam id quod concernit negotium bellicum, quàm politicum.

III.

III.

REX etiam promittet rata habere, & tenore præsentium rata habebit omnia priuilegia, iura, vsus, antiquasque consuetudines cuiuscunque prouinciæ, ciuitatis & Communitatis.

IIII.

OMNES milites Hispani, Itali, Burgundiones, Germani, Franci, Angli, Scoti, omnesque alij extranei indifferenter vtriusque partis, egrediantur ex ditionibus Belgicis intra terminum sex hebdomadarum: Interea tamen Princeps Parmensis deseret ilicò oppida & loca quæ occupat vel detinet post inuasum Namurcum; qualia sunt, arx & ciuitas Namurcensis, Carolomontium, Boulnæ, Philippo-villa, Louanium, Leewa, Diestum & alia: eaque reddet Ordinibus vnà cum tormentis bellicis, munitionibus & commeatu: Et eorundem extraneorum loco, collocabuntur in oppidis & arcibus vbi expedire videbitur, milites naturales Belgij, idque consensu & approbatione Ordinum generalium, ac notanter eius prouinciæ vbi collocabuntur.

V.

POSQVAM autem Hispani & exteri Belgio exierint, oppidaque, fortalitia, & loca restituta fuerint in manus naturalium, sicut dictum est, exauctorentur etiam atq. exeant omnes exteri qui Ordinibus militant. Supradicti quoque milites naturales, antequam ingredientur ciuitates aut loca munita, præter fidelitatem quam iurabunt Regi Catholico, vt prouinciarum Principi & legitimo Domino, iurabunt etiam fidelitatem Patriæ, Ordini-

Ordinibusque generalibus & particularibus prouinciarum quas ingredientur, ac notanter obseruare articulos in hac pace concluso.

VI.

OMNES captiui vtriusq. partis liberabuntur sine aliquo pretio redemptionis, si modò ante huius pacis communicationem non fuerint aliter obstricti: ita tamen vt teneantur respectiuè expensas soluere. Si qui etiam ante hanc communicationem promiserint redemptionis pretium soluere, tenebuntur etiam satisfacere suæ promissioni. *Concordat cum art. 9. Pacification. & 8. Edict.*

VII.

ET quia Comes Buranus extra oppidum & Academiam Louanienſem sine causſa extractus est, vectusq. ex Belgio contra priuilegia tum dictæ Academiæ, tum Ducatus Brabantiæ: idem Comes statim restituetur in libertatẽ, & remittetur in oppidũ Antwerpiẽse intra terminũ trium mensium. *Hæc priuilegia in Belgio notoria sunt.*

VIII.

QVILIBET vtriusque partis restituetur, & regredietur in sua bona immobilia, non obstante quacunque alienatione facta à tempore pacificationis Gandauensis: atque etiam in bona mobilia non distracta aut alienata. *Conuenit cum articulo 10. & 17. pacificationis Gand.*

IX.

FIET etiam restitutio bonorum in Burgundia, Luxemburgo, Hollandia, Zelandia, aliisq. locis, vbi Pacificatio Gandauensis non fuerit adimpleta, tam Ecclesiasticis, Principi Aurangiæ, quàm omnibus alijs, iuxta dictam pacificationem. *Ita & hic articulus.*

X.

OMNES naturales Belgij vtriusque partis poterunt

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

terunt liberè in Belgium reuerti, ibiq́ue habitare; ea lege vt præſtent iuramentũ fidelitatis, tam Regi quàm patriæ, ac Ordinibus generalibus & particularibus eius prouincię in quam reuertentur, atq. adeò ſeſe obſeruaturos omnes articulos huius pacis.

XI.

PACIFICATIO quoque Gandauenſis, Edictum perpetuum 17. Febr. Anno 1577. Bruxellæ publicatum; Vnio ſiue confœderatio Ordinum, ac aliæ ſecuritates ſubſecutæ, in omnibus alijs punctis & articulis obſeruabuntur.

XII.

EXCEPTO quòd in ijs prouincijs & locis, vbi religio quæ dicitur Reformata, Confeſſio Auguſtana vel pax religionis, dicta *Religions-friedt* recepta eſt, omnia permanebunt in ſuo ſtatu, ſecundum eandem pacem religionis; neque religionis cauſſa vlla fiat inquiſitio, idq́ue donec per conuẽtum Ordinum generalium aliter prouiſum fuerit, quemadmodum pro maximo bono & quiete prouinciarum reſpectiuè expedire videbitur.

XIII.

GVBERNATIO generalis Belgij manebit penes Sereniſſ. Dominum Archiducem Matthiam, iis condicionibus quas iurauit: quem ſi contingat mori, vel ſi fortè ſeſe vellet aliò conferre, Regia Maieſt. non poterit committere alium Gubernatorem, niſi gratum Ordinibus, ex ſuis liberis aut ſanguine legitimo, qui tenebuntur iurare eoſdem articulos ac condiciones, ſuper quibus receptus fuit dictus Dominus Archidux.

XIIII.

XIIII.

NVLLI in poſterum admittantur ad gubernacula prouinciarum, ciuitatum, caſtrorum & fortalitiorum, Capitaneatus aut præfecturas militum, neq. ad concilia Status, Secretum aut financiarum, aut alia officia magni momenti, niſi naturales Belgij, bene idonei, & bona illic habentes, quiq́ue ſteterunt à partibus Ordinum, gratiq. ſint tam Ordinibus generalibus, quàm prouinciis particularibus, ad quas mittentur, ac aliàs iuxta priuilegia earum. Qui primùm & antequam admittentur, tenebuntur ſollemniter iurare hanc pacem, & particulariter etiam manu-tenere & obſeruare priuilegia, conſuetudines, iura & vſus generales & particulares Belgij; ac iureiurando promittere, ſi reſciſcant aliquid tractari in eius præiudicium, quòd ea de re certiores facient Ordines generales & particulares prouinciarum, ſub pœna quòd habendi ſint pro periuris.

Concordat ex parte cum art. 10. & ex parte cum 17. dicti Edicti, ſed non ex toto cum 9. artic. eiuſdem Edicti.

XV.

ET quia Ordines ſunt obligati Seren. Reginæ Angliæ, propter ſinceram amicitiam, vicinitatem & auxilium quod illis præſtitit, ad vtilitatem publicam: ipſa comprehendetur reciprocè in hoc tractatu, in confirmationem antiquorum fœderum, perpetuò cõſeruatorum inter principes tam eius regni quàm Belgij.

XVI.

SIMILITER comprehendetur in eodem hoc tractatu Illuſtriſſimus Dux Andegauenſis Regis Chriſtianiſſimi frater, tãquam defenſor libertatis Belgij, cum recognitione, quam Ordines ipſi promiſe-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

miserunt proponere & resoluere; quoniam tam liberaliter atq. heroicè operam nauauit eorum defensioni ac conseruationi: vti etiam cõprehendentur omnes alij confœderati dictorum Ordinum.

XVII.

SVPPLICABITVR S. Sanct. S. Cæs. Maiest. Regi Christianissimo, Reginæ Angliæ, Duci Andegauensi defensori libertatis Belgicæ, omnibus principibus Electoribus Germaniæ, Duci Iuliacensi, tanquam studiosis vtilitatis & tranquillitatis Reipub. Christianæ, vt iis placeat efficere vt hic tractatus in omnibus suis partibus compleatur & inuiolabiliter obseruetur.

XVIII.

HIC tractatus reciprocè iureiurando sollemni super sancta Euangelia præstito confirmabitur & à Rege approbabitur intra terminum trium mensium post conclusam hanc pacem, aut citiùs si fieri potest. Actum Coloniæ XXIIII. Maij, Anno M. D. LXXIX.

DICTA POST EXHIBITOS ARTICVLOS.

AD articulos iam exhibitos cùm secundus ex iis in genere necessariò ita relictus sit, pro declaratione eius Cels. & Dign. V. scire cupimus, nos per Acta, quorum ibi mentio fit, intelligere conuocationem Ordinum generalium & particularium, pacta & fœdera, quæ inter Ordines & quosdam principes inita sunt, arcium demolitiones, vectigalia, exacta, collectas pecuniarum indictas,

dictas, Edicta nomine Regis promulgata, oppignerationes & obligationes, collationes dignitatum, beneficiorum & officiorum, atque id genus alia, quæ concernunt publicum regimen & administrationem Reipub.

IN tertio articulo etsi scrupulus ille, qui ratione sententiæ declaratoriæ, à quo illa fieri debeat, si res in eum casum veniret, motus est, per verba & sententiam priuilegij, de quo art. iste loquitur, decidatur: tamen ne ob hanc rem disputatio aliqua oriatur quæ negotium pacis remorari possit, hunc articulum ita temperatum Cels. & Dign. V. inuenient, vt intelligere queant, nihil præter obseruationem antiquorum priuilegiorum, quæ prouinciis respectiuè concessa sunt, Ordines à Reg. Maiest. postulare. Id quod Cels. & Dignit. V. ipsæmet æquum & iustum iudicarunt.

SIMILITER quod ad punctum religionis attinet, eadem moderatio, quæ in prioribus Pacificationibus inuenitur, adhibita est, vt saltem si id quod prius petijmus, obtineri nõ possit, Sereniss. Rex, Princeps & Dominus noster naturalis, ex caussis & necessitatibus, quas priori scripto nostro exposuimus, hanc gratiã & beneuolentiã prouinciis nostris præstare velit, quod Maiest. ipsius circa ea facta quæ præcesserũt prædictas pacificationes, iam antè Theologorum Louaniẽsium approbatione clementissimè concessit & indulsit: idem nunc quoq. circa ea quæ secuta sunt facta, ratum & firmum habeat; nempè vt ambo facta Ordinum arbitrio relinquantur & committantur.

VLTIMO exhibemus articulos, in quibus

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

condiciones continentur, quas Sereniſs. Archidux Auſtriæ Matthias, cùm in Gubernatorem & Capitaneum generalem Belgij receptus eſt, ſe fideliter ſeruaturum Ordinibus ſollemni iuramento addixit & promiſit.

ARTICVLI ET CONDICIONES SVB QVIBVS ARCHIDVX *Matthias receptus eſt.*

PROEMIVM quia ad præſens negotium nihil pertinet, breuitatis cauſſa ab Interprete hîc omiſſum eſt.

I.

PROINDE dictus Dominus Archidux vti Locum-tenens, Gubernator & Capitaneus generalis, præſtabit iuramentũ Regi, vti ſupremo Domino & Principi naturali harũ ditionum, ac Ordinibus generalibus coniunctim, ad conſeruationem, quietem & tranquillitatem earundem ditionum inferiorum.

II.

SIMILI modo omnes alij Gubernatores tam prouinciarum, quàm ciuitatum, vbi Gubernatores eſſe poſſunt, vel ſolent, ſecundum priuilegia; Omnes item Colonelli, Capitanei, milites & Officiales, iuramentum præſtabunt Regi ſuo ſupremo Domino & Principi naturali ſub Gubernatore nomine Regis & Ordinum cõiunctim, ad conſeruationem dictarum ditionum.

III.

QVI non ſecus ac dictus Gubernator generalis

ralis obligabunt ſeſe ad articulos inferius declaratos, & ſingulatim ad obſeruationem omnium & quorumlibet priuilegiorũ, iurium, vſuum & conſuetudinum loci: eaque reſtituere, in vſum reuocare, tenere & inuiolabiliter obſeruare tam generaliter quàm particulariter.

IIII.

ITEM quòd has ditiones reget cum tali Concilio rerum Status, quale ipſi per Ordines generales declarabitur ac nominabitur, ex naturalibus harum ditionum idoneis & qualificatis.

V.

OMNIA quæ venient in deliberationẽ Concilij, reſoluentur & decernentur per maiorem numerum ſuffragiorum eiuſdem Concilij, neq. poterit idem Gubernator vti aliquo priuato aut ſecreto conſilio.

VI.

SI aliqui Conſiliarij, aut aliis muneribus ad Regis diſpoſitionem ſpectãtibus fungentes, comperiantur aliter ſeſe gerere quàm decet, ad requiſitionem Ordinum generalium legitimum remedium adhibebitur cum cauſſæ cognitione.

VII.

PROVISIO eorum munerũ quæ ſemper Regi reſeruata fuerunt, penes Regem manebit: qui rogabitur vt dignetur illa conferre perſonis gratis & qualificatis, iuxta quartũ articulum præcedentem. Ac reijcietur quæcumque alia Oſtenſio & ſupplicatio, quæ munera & officia concernit, ad futuram congregationem Ordinum generalium ſecundum Pacificationem Gandauenſem.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

to concilio Ordinum constituent & ordinabunt Ducem generalẽ exercitus siue militiæ, tam mari quàm terra, Thalassiarchum generalem, Præfectum equitum, Marischalcum exercitus, Colonellos, & eiusmodi officia magni momenti.

XIX.

NON conscribet exercitum, siue peditum siue equitũ, extraordinariè, nisi approbatione & consensu Ordinum: Sed neque præsidia collocabit in oppidis, non priùs auditis ipsis oppidis vbi præsidia erunt collocanda; nisi fortè propter vrgentem & manifestam necessitatem.

XX.

NON præficiet aliquem Gubernatorem prouinciæ sine consilio & approbatione eiusdem prouinciæ; adeoque quantum fieri potest, Gubernator habitabit in eadem illa prouincia, vel ibi habebit bona & reditus, aut saltem erit ibi gratus, vt suprà dictum est.

XXI.

IN tempore & negotio belli administrabit omnes res magni momenti per dictum Concilium rerum Status, adhibito Concilio militiæ: quod quidem Concilium militiæ constabit ex iis qui Ordinibus grati erunt.

XXII.

OMNIS pecunia prouenies ab Ordinibus, administrabitur auctoritate Ordinum, & eorum quos illi præficient: sinentes administrationẽ domaniorum & quantiarum Regis in eo statu, qualis hactenus fuit, ne quid attentetur contra auctoritatem suæ Maiestatis: si tamen aliter expedire com-

comperiatur, poterit inpræsentiarum proponi vel in futuro conuentu Ordinum iuxta pacificationem Gandauensem.

XXIII.

ORDINES poterunt acceptare oblationes sibi factas à regnis & prouinciis vicinis, si opus sit: præsertim si bellum sibi inferatur: ac Gubernator approbabit & manutenebit quicquid Ordines iam antè acceptarũt vel adhuc acceptare poterũt.

XXIIII.

PROCEDETVR via iuris contra eos qui arma tulerunt aduersus Ordines & patriam, ac contra eos qui secuti sunt partes Domini Ioãnis Austriaci tempore vltimorum motuum, neq. poterit progressus aut executio iuris vllo modo à quoquam remorari aut impediri: idq. ex ea causa, ne quis in posterum audeat perturbare statum aut quietem publicam. Exceptis iis qui rogarunt sibi reditum concedi, vel probare poterunt sese à Domino Ioanne inuitos abductos esse: quarum excusationum cognitio spectabit ad Ordines generales.

XXV.

ARCES, quæ nondum sunt dirutæ, sed quarum demolitio impetrata est, re ipsa & cum effectu omnibus vallis ac propugnaculis exuentur vel demolientur, sine cuiuspiam contradictione. De aliis arcibus, à quibus seruitus & oppressio harum ditionum metuenda esset, decernetur cum consilio Ordinum generalium, vti videbitur rationi consonum.

XXVI.

ET generaliter non fiet vlla inquisitio rerum

præteritarum, & vltimorũ motuum: verùm comprehendentur sub obliuione generali Pacificationis Gandauensis; exceptis iis qui superiore xxiiij. articulo continentur.

XXVII.

SVA Serenitas gratum habebit, & manutenebit, tanquam rectè factum, quicquid per Ordines generales actum, ordinatũ & decretum fuit, postquam Dominus Iohannes se recepit in arcem Namurcensem, nec ei aliquo modo contraueniet: & supplicabitur Regiæ Maiest. vt dignetur idem facere.

XXVIII.

IDEM Archidux omnem operam nauabit erga Cæs. Maiest. Principes Electores & alios proceres S. Imperij, vt procurent tam apud Regem, supremum nostrum Dominum, quàm per quæuis alia media, promptum discessum Domini Iohannis Austriaci, aliorumque qui illum sequuntur, illiq. adhærent ad maiorem tranquilliratem harum ditionum, reconciliationem & restitutionem oppidorum & locorum, per eundem Dominum Iohannem hoc tempore occupatorum: ideoque magis, quoniam hæ ditiones cum Comitatu Burgundiæ, quæ constituunt circulum Imperij, sunt sub protectione tam suæ Maiest. Imperialis quàm Sacri Imperij.

XXIX.

PRÆTEREA sua Ser. nullos admittet in suum seruitium, interea dum gubernationem generalem tenet, nisi naturales Belgij: præter eos quos secum adduxit, vel consensu Ordinum, si desiderat

rat aliquos extraneos ad ministerium suæ personæ; qui, nec ij quos adduxit, immiscebuntur alicui rei concernenti negotia harum ditionum, prouisiones officiorũ, aut alias res spectantes ad Remp. vel administrationem suæ gubernationis.

XXX.

QVOD si dictus Dominus Archidux, postquã gubernationem sub condicionibus præfatis apprehenderit, earum aliquas fortè violauerit: Ordines protestantur ex nunc, prout ex tunc, quòd ipsis liberum erit, post monitionem vel interpellationem factam, si nolit instaurare infractionem, arma capere ad sui legitimam tuitionem & defensionem, tam contra dictum Dominum Archiducem, quàm alium. Factum & conclusum per dictos Ordines generales Bruxellæ, octaua die Decembris, Anno M. D. LXXVII. Sic subscriptum & signatum, *Me præsente*, & per expressum mandatum dictorũ Ordinum, *Cornelium Weellemans*.

XXVI. Maij, Dominorum Cõmissariorum Consiliarij, in loco consueto congregati, per Cancellarium Treuerẽsem à legatis Ordinum eõdem vocatis quæsierunt, antequam articulos ipsorum Duci de Terranoua exhiberent, scire se cupere an acta, contracta, statuta, quorum mentio in secundo articulo fit, non tendant ad imminutionem Regiæ auctoritatis?

AD quod legati Ordinum primùm protestati sunt, quæ vel aliâs ore dicta essent vel in posterum dicerentur, ea familiaris communicationis gratia, non autem sic accepta velle, quasi ab Ordinibus

man-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. Франка

mandata & profecta essent: sic etiam cupere se illam declarationem intelligi, quam super secundo articulo præcedenti die fecissent: solùm ea quæ in scriptis exhiberent, pro veris & firmis agnoscere. Protestatione ista præmissa, ad quæstionem propositam sperare se dicebant, nihil in iis actis esse quæ Regis auctoritatem imminuant; vlteriorē tamen declarationē se nullo modo facere posse, qui super ea re mandatum non habeant. Sed vbi ad tractationem istius articuli ventum esset, referre se velle ad Ordines: quicquid tum responsi acceperint, libēter indicaturos: rogare ne vltra id quod exhibitum esset, grauare ipsos vellent, sed ea cum Duce de Terra-noua cōmunicarent. Qua responsione prædicti Consiliarij contētos se præbuerunt.

QVICQVID verò instarent & vrgerent legati Ordinum, non potuerunt tamen per multos dies responsum ad articulos suos obtinere: quæ res non paruas suspiciones in animis eorum peperit, ne spe expugnandi Traiecti superioris negotium extraheretur. Tandem IX. Iunij Consiliarij Commissariorum ad ædes Ducis Arschotani venerunt, & nomine Ducis de Terranoua sequentes articulos illis exhibuerunt, eosque vt æquos & moderatos commendarunt. Deinde cùm dicerent se statuisse cum Principe Auraico seorsum & priuatim aliquid agere, quærebant à legatis, an non aliquod particulare Mandatum ab Excell. ipsius haberent. Tertiò iterum illos admonent vt de integro Mandato sibi prouideant. Quartò opus esse vt termini, qui ab Ordinibus ipsis præscriptus esset, prorogationem ab ijsdem impetrent.

AD

AD quæ legati Ordinum deliberationem petierunt: ea altero die habita; omnibus quæ hic necessaria erant consideratis, & inter se collatis, responsum conceperunt, quod Dominis Commissariis XI. Iunij ore exposuerunt, & vnà cum illo Respōso ANNOTATIONES DIFFICVLTATVM exhibuerunt. Item XII. CONCORDIAM ARTICVLORVM, ad Cancellarium Treuerensem transmiserunt. Iam antè, VI, Iunij, ijdem legati litteras ab Archiduce Matthia acceperāt, quibus adiunctæ erant interceptæ Principis Parmensis litteræ, quas sequentibus scriptis subiunximus.

ARTICVLI DVCIS DE TERRANOVA.

Reuerendissimi, Illustrissimiq; Principes, Generose, Nobilesq; Domini Sacræ Cæs. Maiest. Commissarij.

DVx de Terranoua & Princeps de Castel-vetrano, regius Mandatarius, viso scripto Ordinum Belgij legatorum, sibi iampridem ad effectum manifestandæ voluntatis seu determinationis suæ Maiest. Catholicæ vestro omnium iussu communicato, nihilq. minus pensi habens, quàm occasione articulorum, dicto scripto comprehensorum, in disceptationis arenam cum prædictis legatis descendere, seu contenta illorum per viam obiectus seu reprehensionis quomodolibet eneruare ac confutare: Quinimò econtrà omnino nihil sibi potius faciundum censens, quàm disputationum sinuosis ambagibus vitatis, planè ac simpliciter

HAVKOBA SIBLIOTEKA OHJ im. I. I. MECHNIKOBA

pliciter ob oculos ponere immensum amorem, ac verè paternum affectum, quo sua Maiestas, tanquam Princeps naturalis, suapte indole clementissimus, rapitur erga suos subditos Belgicos: quos quidem ipsos sicut vehementer cumprimis desiderat, suis sub legibus, vsibus, moribusque ac priuilegiis antiquis, tam circa ea quæ concernunt sacrosanctam religionem; ipsamq. obedientiam sibi debitam, quàm etiam iustitiam, aliáve politica, ac denique & cõmerciorum prosperitatem, splendori pristino restitutas videre: ita supradictus Dux nequaquam cunctandum ratus, quin ex parte suæ Maiest. ac nomine quo suprà, prorsus voluntariè & liberaliter, populo & Ordinibus offerat, concedat & largiatur articulos ex ordine sequentes; in quibus complexum iri arbitratur vniuersum illud quod à subditis bona mente præditis, ac propriam salutem sitientibus, honestè requiri, postulari vel prætẽdi posset: planè sibi persuasum habens, populo dictisque Ordinibus curæ futurum, quo videantur dictos articulos nedum hilariter, verùm etiam obedienter à dicta sua Maiestate, tanquam naturali ac supremo ipsorum Principe suscepisse; Gallico nihilominus scripto pro huius præsentis negotij autographo habendo.

I.

PRINCIPIO ne qua ad nutriendam animorum diffidentiam occasio, seu fomes quoquo modo superstes relicta videri queat, atque eatenus ad vniuersum metum scrupulosque omnes, tam natos quàm nascituros, ex animis subditorum planè radicitùs euellendos: placet suæ Maiest. quòd gene-

generalis vtrimq. obliuio omnium eorum quæ ab exordio primorum motuum accidêre, instituatur; ita vt eorum memoria proinde euanescens sepultaque intereat, ac si omninò non accidissent.

II.

DISTRICTE interdicens omnibus, nõ solùm procuratoribus fisci, aliisq. Officiatis, verùm etiã quibusvis personis, tum publicis, tum priuatis, cuiuscumq. ordinis, condicionis ac qualitatis fuerint, ne deinceps rerum quarumlibet præteritarum occasione, vlli negotium facessere præsumant, siue in iudicio siue extra iudicium, néue etiam minas spirantes, sese mutuò prouocent ad iracundiam: verùm econtrà pacem & concordiam sibi vnicè, sinceriter & fraternè posthac colendam & obseruandam esse nouerint: & quidem sub pœna correctionis exemplaris, tanquam in perturbatores quietis ac boni publici distringendæ.

III.

QVIBVS proximum est, quòd Rex vasallis subditisque suis seriò promittat ac polliceatur in posterum seruare ac manu tenere, imò (si opus videbitur) etiam de nouo firmare omnia & singula iura, vsus, consuetudines, immunitates, exemptiones & priuilegia quarumlibet prouinciarum, ciuitatum, oppidorum, Communitatum, aliorumque priuatorum omnium, tum in genere, tum in specie, prout ijsdem vsi fuêre ac fruebantur eo tempore quo sua Maiestas dictis prouinciis olim sollemniter inauguratus, eadem promisit iurauitque: & sicubi forsan ea ipsa priuilegia interea temporis vllam infractionem seu viola-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОДУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

violationem passa, nihil promptius fuerit, quàm vbi tale quid apparuerit, eadem rursus instaurare ac pristino vigori restituere.

IIII.

Et quantumuis Rex olim (licet inuitus) motuum tunc temporis exorientium occasione planè coactus fuit, varium militem peregrinũ, ad tuendum suam auctoritatem, in Belgium inducere: tamen paternè respiciés ad onera & grauamina subditorum, inde resultantia, omninò nihil alacrius præstiterit, quàm vt statim, à pace promulgata, mandet omnibus ad vnum vsque militibus extraneis, vtpote Hispanis, Italis, Germanis, Burgundis, Gallis, Anglis, Scotis, ac cæteris omnibus peregrinis, qui propter hosce motus vtrimque accersiti comperientur, quatenus citra moram prouinciis Belgicis excedant: & quòd illorum loco in vrbes, arcesque & fortalitia, quæ ab omni memoria præsidium habuere, substituantur milites naturales; cæterùm astringendi iureiurando peculiari, prout infrà latiùs dicetur.

V.

Quod verò attinet ad alios milites nequaquã extraneos, etiam ad pleniorem exonerationem afflictorum subditorum, mandabit S. Maiest. vniuersum militem, tam terra quàm mari; ilicò post dictam promulgationem exauctorari, & dimitti: vt nimirum deinceps sibi priuatim viuant in tranquillitate, ordinariis tantùm præsidiis (vt dictum est) retentis ac suffecturis.

VI.

Porro quia pace hac stabilita, per discessum extra-

extraneorum tanquam eatenus armorum occasione quodammodo sublata, omnia sperentur quasi postliminiò ad quietẽ reditura, vtq. eo magis fructu pacis omnes gaudeant, nihil tam ex vsu publico futurum iudicatur, quàm vt plebs citra omnem cunctationem redeat ad opificia, mercatus & negotia pacis, quibus se, vxores, liberosque citra iniuriam proximi honestè sustẽtare valeat. & proinde Sua Maiestas tum ob causam prædictam, tum etiam ad in posterum euitanda vitia & incommoda quæ plerunq. otium & armorum luxuriam comitari solent, mandabit vbiuis locorũ arma poni, non minùs ruri quàm in oppidis, quibus ea tempore pacis nec foueri nec tractari consueuêre, idq. omnino ad instar, prout olim factitatum, tam antepriores quàm posteriores hasce turbas.

VII.

Consequenter vt tanto nimirum pinguiùs ac luculentiùs se orbi terrarum manifestet verè paternus suæ Maiestatis amor, & affectus erga suum populum, occasione præsentis belli intestini, ac signanter ob varietatem vectigalium, impositionum, subsidiorum, aliarumque exactionum & cõcussionum vehementer exorbitantium, adeò exhaustum, vt quod aggrauet vix videatur deinceps ferre posse: placebit suæ Maiest. quod ad congruam respirationem eorundem subditorum, vniuersæ exactiones, impositiones cæteraque inusitata vectigalia & onera præsentium turbarum occasione quomodolibet indicta penitus cessent & tollantur: ita tamen, vt si quæ certorum onerum continuatio adhuc fore ex vsu publico iudicabi-

HAVNIA BIBLIOTEKA OIJ M.I.I. MEMORIA

tur, simulatque per Ordines Statuum eiuscemodi quid demonstratum fuerit, sua Maiestas haud grauatim se Ordinum consiliis iuxtà ac desiderio accommodabit.

VIII.

PRÆTEREA restaurabitur libertas commerciorum & transitus vbiuis locorum per vrbes, pagos, pontes, portus earundem prouinciarum, non minùs terra quàm mari, perq. fluuios & flumina, prout factitatum ante præsentes hosce tumultus: nouis autem vectigalibus & impositionibus; absq. suæ Maiest. auctoritate, eatenus per hos motus de facto institutis, incontinenti cessaturis.

IX.

QVONIAM verò hoc potissimùm agitur nunc pax vt coeat bona, firma ac prorsus stabilis, quæ haberi nequit, nisi iusta atq. æqua sit, & par vtriusque partis ratio habeatur; & ob id ne qua semina altercationũ aut querelarum inter eiusdem Principis consubditos relinquantur: sua Maiest. cupiens æquali fauore ac benignitate omnes & singulos subditos à cuiuscunque partibus hactenus steterint, deinceps prosequi & promiscuè vt bonos fideleśq. subditos omnes tractare. vtq. etiam primus articulus obliuionis generalis mutuarum iniuriarum pręteritarum (in quo vera basis ac fundamẽtum solidæ pacis consistit) plenum effectum sortiatur: eadẽ declarat & vult omnes tam Ecclesiasticas personas quàm seculares recuperare pacificè bona sua mobilia & immobilia, titulos, debita & actiones, ijsque statim vti ac frui posse, in eo nimirum statu & qualitate, quibus inpræsentiarum

tiarum illa ipsa reperientur, idque omni dolo & fraude semotis, non obstãte quauis alienatione facta in contrarium. Et hoc tum in Burgundia, Luxemburgo, Hollandia Zelandiaque, tum etiam in aliis quibuslibet prouinciis ac locis, non minùs ad vtilitatẽ Ecclesiasticorum quàm principis Auraici, & aliorum deniq omnium: non obstante quòd dictarum prouinciarum binæ, vtpote Burgundia & Luxemburgum, notoriè sint exemptæ à dispositione tractatuum superiorum.

X.

SIMILITER ob causas rationésque prædictas, & vt ne quispiam debita cõsolatione carens, vllo damno iniuriáue affectum se iure conqueri possit: ipsa ratio dictat, & sua Maiest. omnino intendit, quòd quilibet subditorum hinc inde etiam redintegretur in suis honoribus, dignitatibus, beneficiis, gubernaculis, muneribus, functionibus, & officijs, planè ad instar, prout olim ante dictos tumultus extiterit: exceptis tãtùm ijs, quibus contra libertatem iuraque ac priuilegia patriæ de vlla functione prospectum fuisse demõstrabitur. Prouiso tamẽ quòd eiuscemodi spoliati denuò redintegrandi tenebuntur præstare iusiurandum, cuius infrà fit mentio, prout facturi quoque ceteri ad nouas functiones & officia in posterum cooptandi: reuocando, cassando, annullando quicquid hinc inde factum, decretum & pronunciatum fuerit in contrarium.

XI.

ET quia sua Maiest. in hac rerum facie iudicat ad securitatem subditorum haud vulgariter pertinere,

HAZIENDA BIBLIOTECA OFICIAL MEXICANA

tinere, quòd omnes deinceps functiones & officia publica per ſolos naturales obeãtur, etiam ſtudioſè prouidebitur, ne quis in poſterum admittatur ad vlla gubernacula prouinciarum, vrbium, caſtrorum & fortalitiorum, nec vt ſit Capitaneus aut Dux militum, nec ad Concilia rerum Status, priuatum, financiarum, aliaque officia maioris momenti, præter naturales patriæ, qui etiam ante receptionem ſolenniter iurabunt in hos articulos; eoſque promittent fideliter ſincereque ſeruare, ſub pœna periurij, & tanquam tales puniendi. in qua re ſola videtur conſiſtere potiſſima ſecuritas præſentis Pacificationis adimplendæ; nec id ſolùm, quinimò & ipſa vera quies & tranquillitas publica: vt nec ab Ordinibus Statuum quicquam vlterius requiri aut deſiderari poſſe videatur.

XII.

INSVPER captiui vtriuſque partis omnes, qui ob dictos tumultus adhucdum detinentur, ſtatim & abſque vllo pretio relaxabuntur, niſi iam antea aliud conuentum & ſolenniter ſtipulatum fuiſſe conſtiterit.

XIII.

QVOD verò attinet ad Comitem Buranum, ſicut ſua Maieſtas planè cõſtituit de omnibus ſuis ſubditis in vniuerſum paternè promereri: ita quoque contentus eſt eundem Comitem, licet per tractatus præcedentes ſpecialiter exceptum & reſeruatum, nihilominus quanto citiùs fieri poterit, ſuæ libertati ac patriæ reſtituere; quinimò & illi gubernationem Hollandiæ, Zelandiæ ac Traiectenſis prouinciæ dabit.

XIIII.

DECRETA verò iuxtà ac diſpoſitiones & ordinationes, per Dominũ Archiducem Matthiam, ſuoſque collaterales, & Ordines Statuum, à tempore vltimarum turbarum, ſub auſpiciis S. Maieſt. emanatæ, tametſi notoriè conſtet, legitimæ facultatis defectu, viribus nequaquam ſubſiſtere: tamen ſtudio promouendæ huius reconciliationis ſua Maieſtas conſentit, quòd pro legitimis ac validis habeantur, ſuoſque debitos ſortiantur effectus; quòd beneficia, dignitates, officia, aut alias quaſpiam res, quæ ſolent eſſe poteſtatis ac diſpoſitionis ordinariæ illorum qui tenent locum Gubernatoris dictarum prouinciarum, nõ autem in iis quæ propriæ perſonæ ſuę Maieſtatis reſeruantur, aut ſi quę factæ ſint contra iura, priuilegia & immunitates patriæ, tam in generali quàm in particulari, vel alioqui in vllius iniuriam ſeu detrimentum redundarint.

XV.

PARITER etiam omnes quarumlibet vrbium & aliorum locorum Magiſtratus ſeu Officiati ſuis fũctionibus deſtituti, alia via & ratione quàm ordine iuris legitimè ſeruato, aut aliâs contra priuilegia dictarum vrbium, aut præter ordinarios conſuetoſque modos, cumprimis reſtituentur & redintegrabuntur in dignitates officiaque ſua; nec non ad eorum creationẽ futuris temporibus procedetur, prout olim & ſicut ex iuribus, moribus & priuilegiis cuiuſque patriæ, vrbis & loci decet, ne cui facta toleretur iniuria.

XVI.

QVOD verò concernit religionem, quæ omni-

HAVKOBA БИБЛИОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

bus Principibus verè Christianis iure debet esse commendatissima, haud potest sua Maiestas vllatenus prætərire, quin vestigijs Regũ Catholicorum suorum maiorum inhærẽdo, percupiat ac mandet in prouincijs suis patrimonialibus retineri seruariq́ue religionem Catholicam Apostolicam Romanam, ab omni æuo non solùm ibidem receptam, verùm etiam sub qua earundẽ prouinciarum subditi olim tantopere floruere, & in qua tam dictam suam Maiestatem, quàm cæteros suos prædecessores olim prouincijs inauguratos, & mediante sollemni iureiurando in Principes supremos ac naturales receptos fuisse notoriè constat. Quæ quidem supradicta religio, excluſa quauis alia, liberè, pacificè & absque vllo impedimento vbiuis locorum, per vniuersas ditiones Belgicas posthac tradetur & exercebitur, prout etiam Ordines Statuum suæ Maiestati non minùs post, quàm ante turbas præsentes, frequentibus litteris se passuros & procuraturos addixerunt; & sicut etiã iampridem scripsere ad suam Maiest. Imperialem; atq. adeò quòd absque graui nota, vt ne dicatur confusione, vniuersi status politici, haud possint in re tanti momenti proprijs scriptis vlla ex parte contrauenire.

XVII.

ENI MVERO tamen si qui subditorum vel incolarum, occasione diuersitatis seu contentionis (proh dolor) suscitatæ circa vniformitatem religionis, vel alia quapiam tum simili, tum dissimili de caussa dictis prouinciis quandoque excedere cupient: sua Maiestas permittet hoc cuilibet liberum

rum fore integro quadriennio subsecuturo: dummodo interea temporis à scandalis ac rerũ perturbatione studiosè abstineãt. Quo casu etiam liberrimè fruentur omnibus suis bonis, tam mobilibus quàm immobilibus, iuribus actionibusq.' & poterunt ea ipsa qualiacumq. fuerint etiam aliò transferre, seu vendere aut alienare, prout eis videbitur. Imò & hoc amplius; si modo bona sua retinere malint; etiam poterunt abientes ad eorũdem bonorum regimẽ, administrationem & receptionem in prouinciis sibi eligere Quæstores catholicos, qualescunq. volent, ac prætereà toties quoties voluerint, ad prouincias iteratò redire, victuri tamen ritibus ac moribus pristinis, & vt personas catholicas decet: eritq. huiuscemodi reditus ac facultas bona administrandi per se cuilibet bona fide permissus, statim atq. Pastoribus, Officiatis ac Magistratibus locorũ, ad quæ redire cupient, talis intẽtio & voluntas insinuata fuerit. Ex qua quidem regali indulgentia nulli non perquam manifestum redditur, quòd S. Maiest. nihil minus quàm bonorum confiscationes, ruinã & perniciem suorum subditorum appetat, multò autem minus quòd vigore superiorum Placitorũ ipsos perstringere constituerit, cùm vel etiam paratissimus sit, eã ipsa Placita ex consilio Ordinum Status competenter temperare ac moderari.

XVIII.

QVOD spectat ad auctoritatẽ & obedientiam suæ Maiest. à suis subditis omni iure diuino & humano, vt Principi naturali, legitimo & supremo debitam, illa cumprimis restituetur & seruabitur,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

bitur, qualis meritò esse debet, qualisque olim seruata est, vt rectè nimirum administretur iustitia, subditi regantur in omni ratione, æquitate, quiete & obedientia, idque ad eam formam modumque, quo factum est ab omni memoria, tam defuncti Imperatoris Caroli Quinti eiusque prædecessorum, quàm etiam suæ Maiestatis vsque ad harum turbarum initium, sine cuius auctoritatis instauratione ac subditorum obedientia, nequaquam possibile est populum in vnione, concordia rectaque iustitia, quiete ac tranquillitate manutenere.

XIX.

SVPEREST de gubernaculis generalibus dictarum prouinciarũ, quarum occasione sua Maiestas eliget Principem de sanguine, qui, quæue rerum experientia pollens, habeat dotes & qualitates, ad eius generis arduum munus cumprimis necessarias, & de quo, seu qua, subditi iustam caussam satisfactionis sint habituri. Gubernabunt autem cum omni iustitia & æquitate, præsertim verò secundum vsus, iura, consuetudines & priuilegia dictarum prouinciarum; etiam comprehenso hoc præsentis reconciliationis edicto, quod pariter tenebuntur promittere ac iurare.

XX.

AD cuius quidem Gubernatoris generalis manus, citra vlteriorem hæsitationem, plenè & integrè tradentur omnes & singulæ ciuitates, vrbes, fortalitia, & alia loca, quæ ab vna alteráue parte quocunq. titulo aut prætextu modò tenentur, vnà cum patrimonio ad suam Maiest. pertinente, tormentísque bellicis, munitionibus, commeatibus, armis

armis & nauibus: vt nimirum de iis disponat, sicuti seruitio suæ Maiestatis simul & commodis, ac securitati prouinciarum magis expedire arbitrabitur, & aliàs prout fieri debet, factumque fuit ante motus præsentes.

XXI.

PERMITTENTE nihilominus sua Maiest. & quidem merè in huius reconciliationis gratiam, vt quod hactenus ex eius patrimonio seu populi subsidiis desumptũ & collectum fuit, id ita collectum receptumq. maneat, absq. vlteriore persecutione seu vexatione cuipiam mortaliũ eatenus inferẽda; ita tamẽ vt in posterum ab eiuscemodi detẽtionibus, occupationibus & collectis desistatur.

XXII.

CIRCA tractatum Gandauensem, & insecutam Vnionem generalem Statuum, ipsumq. Edictum perpetuum omnes & singuli articuli ad amussim seruabuntur, qui huic præsenti tractatui nequaquam repugnare comperientur.

XXIII.

PROVISO tamen, quòd illico per Ordines Statuum renunciabitur aliis omnibus fœderibus, pactis mutuisque sponsionibus, contractis occasione dictorum tumultuum, tam intra quàm extra prouincias.

XXIIII.

COMPREHENDENTVR hoc tractatu Regina Angliæ, & Dux Andegauensis.

XXV.

ET quia sua Maiestas omnibus modis optat hunc ipsum tractatum perpetuò firmum & stabi-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

lem esse, haud dubiè fuerit sibi acceptissimũ, quòd S. Sanctitas, tanquã caput vniuersalis Ecclesiæ, & sua Maiest. tanquam Mediator vnà cum Principibus & ad præsentis pacificationis negotiũ delegatis, seriò requirantur, quò interueniant tanquam sponsores partium hinc inde, eo potissimùm fine, quòd omnia & singula in hoc tractatu cõprehensa, sinceriter, bona fide & absq. vlla contrauentione ad amussim posthac cõplebuntur, necnon realiter præstabuntur. XXVI.

POSTREMÒ vt ne ad summæ firmitatis ac dictorum omnium reuera solidum stabilimentum quicquam defuisse videatur: haud grauabitur sua Maiest. omnia & singula supradicta non solùm confirmare verbo regio, quinimò & iuramento sollemni; cuius rei litteræ suæ patentes (tam nominis subscriptione quàm sigilli impressione muniendæ, necnon in forma Edicti perpetui & irreuocabilis, desuper in vtroq. idiomate tam Gallico quàm Flandrico expediendæ;) haud dubiè fidem facturæ erunt: quæ quidem litteræ ad eum modum expeditæ, consequenter mãdato suæ Maiest. publicabuntur, & in actis publicis Conciliorum tam supremorum quàm prouincialium, vt moris est, describendæ, posteris seruient in monumentum legis perpetuæ.

XXVII.

TANTVNDEM promittere & iurare tenebuntur Ordines Statuum, aut coniunctim simul, aut seorsũ singuli in suis prouinciis, pariter & ipsi magistratus oppidorum, & Communitatũ totius Belgij, nimirum quòd sarta tectaque ac prorsus inuiolata

uiolata seruabuntur omnia & singula supradicta, etiam cum sollemni reiteratione iuramenti fidelitatis & obedientiæ suæ Maiest. debitæ.

QVOCIRCA cùm omnes & singuli supradicti articuli tantoperè abundent iustitia & æquitate, omninò persuasum est S. Maiest. non solùm à vobis Illustrissimis Principibus ac Dominis Cæs. delegatis, ceterùm ab orbe terrarũ vniuerso haud dubiè probandos fore, ac denique etiam Ordines Statuum ipsosque subditos, tam in genere quàm in specie, nequaquam passuros, eiusmodi perpingues ac verè regales tãtorum commodorum oblationes sibi & posteris suis excidere, potissimùm quòd manarint ex pectore non minùs candido, quàm amore paterno, quo sua Maiest. prosequitur Belgicos suos subditos, à quibus tum ipsius prædecessores, tum etiam ipsimet, mirum dictu, quàm rara ac verè ingenua obsequia olim perceperint: vt nec dubitet tempora propediem recursura, quibus tantundem sibi ac successoribus deinceps præstandum fore iure sperare poterit. Actum Coloniæ Calend. Iunij, Anno M. D. LXXIX.

RESPONSVM LEGATORVM ORDINVM AD ARTICVLOS DVCIS DE TERRA-NOVA.

Reuerendissimi, Illustrissimi, Generose, Nobilis, Sacr. Cæs. Maiest. Commissarij.

ILLVSTRISSIMVS Dux Arschotanus, & nos reliqui Ordinum Legati, articulos quos heri nobis Consiliarij vestri ex parte Illustriss. Ducis de Terra-

НАЦІОНАЛЬНА БІБЛІОТЕКА ОЛЬГИ ІВ. МЕЛЬНИКОВА

de Terra-noua exhibuerunt, omni diligentia perlegimus & examinauimus; sed, vt verum fateamur, vehementer admirati fuimus, post tam bonam spem, non semel nobis de pace datam, item post tam longam dilationem & deliberationem, quæ spem illam quoque auxerat, inuenisse nos eosdem illos articulos adeò diuersos, & discrepantes existere ab Ordinum æquabili & necessaria petitione, & intentione.

Ad hos articulos Mandatũ Legatorum Ordinum limitatum erat.

EAM nos planè & sincerè, quantum à nobis fieri potuit, vltimis nostris articulis exposuimus, ita vt nihil habeamus quod iis sine nouo mandato addere vel demere poterimus. Sed magnoperè timemus, si articulos istos in eum modum quo concepti sunt, ad Ordines transmittamus; futurum, vt magis per eos ad desperationem, & consequenter ad impatientiam, quàm ad spem pacis, & ad tranquillitatem inducantur & commoueantur.

PLVRIMA enim, quæ Pacificatione Gandauensi, multa etiam quæ Edicto Bruxellensi continentur, articulis illis Ducis de Terra-noua abolentur, atque irrita fiunt: longè etiam minora sunt, minusq. ad pacem ineundam idonea, quæ iisdem articulis comprehenduntur, quàm erant illa quæ cùm olim Bredæ à Regiis Commissariis Principi Auraico, Hollandiæ atque Zelandiæ Ordinibus, longo iam bello fatigatis, offerrentur; ab iis tamen, cùm totius belli impetum atque molem soli sustinerent, tanquam duriora atque minus æqua recusata fuerunt.

QVAMOBREM Celss. & Dig. Vⁿ amicè, humillimè, humiliter, & officiosè rogatas volumus, vt au-

vt auctoritate vestra Ducem de Terra-noua inducatis, quemadmodum antè nobiscum factum fuit, quò articulos suos propiùs ad petitionẽ nostram accommodare non grauetur; id nisi fiat, non solùm omnem spem pacis abiicimus; sed & id, quod suprà diximus, euenturum apud Ordines timemus. Atque istud eò magis, quòd non ita pridem iidem Ordines negotiũ nobis, qua fieri posset breuitate, conficiendum litteris suis seriò iniunxerint, spẽ prorogando tractationis termino præcidentes.

SI ergo Celss. & Dign. Vⁱˢ vt certò nobis persuademus, pacis cõfectio cordi & curæ est, talem mutationem in illis articulis fieri oportet, quæ non nimis dura & aliena ab Ordinum studiis iudicetur.

AD quam rem Celss. & Dig. V. breuem & modestam annotationem earum difficultatum quæ in prædictis articulis sese offerunt, exhibemus; ea tamen lege & condicione, ne tanquam ab Ordinibus mandata, firma & rata habeatur, sed tanquam à pacis studiosis consilij ergô, sine vllo partium præiudicio, prolata & proposita.

QVOD ad reliqua quæ nobis proposita sunt, attinet; in primis verò super quo rogati sumus, an vllum Mãdatum particulare ab Illustriss. Principe Auraico habeamus, respondemus nullum nos habere, nec scimus etiam in quem finem nobis huiusmodi Mandatum scruiisset, posteaquam caussam suam cum Ordinum caussa communem fecerit. De mediis etiã, ipsius nomine proponendis, prorsus ignari sumus: qui nec iussum ab eo personæ suæ respectu habeamus, nec scimus quid ab Excell. ipsius per Celss. & Dign. V. requiratur.

QVAN-

HAYROBA BIBLIOTEKA OHYM. I.I. MECHNIKOVA

QVANTVM Mandatum concernit, vbi animaduerterimus negotium ad pacem tendere, daturi operam sumus, ne per illud vllum impedimentum concludendæ & conficiendæ ei obiiciatur.

DE prorogatione huius tractatus quæ spes sit, ex litteris quas hîc exhibemus, cognoscetis. Quare etiam petimus incontinenti hoc scriptum cum Duce de Terra-noua communicari, eiúsq. Excell. ad extremam Regiæ voluntatis declarationem patefaciendam induci & vrgeri, vt Ordines ea cognita, si spem pacis præbeat, tanto faciliùs ad prorogandum commoueantur. Actum Coloniæ x. Iunij, Anno M. D. LXXIX.

ANNOTATIO DIFFICVLTATVM QVÆ SE IN ARTICVLIS, AB ILLVSTRISS. DVCE DE TERRA-NOVA PROPOSITIS, OFFERVNT.

PRÆTERMISSO primo, propterea quòd iste articulus cum primo nostro prorsus conueniat, & iam antè approbatus & conclusus fuerit in Pacificatione Gandauensi & Edicto perpetuo art. 1. Quoad secundum, censemus præstare, vt is tanquam superfluus omittatur, cùm sub primo contineatur.

TERTIVS articulus in effectu à tertio nostro non discordat, sed additur restrictio in verbis, *Pro vt iisdem vsi fuere*; de qua metuimus, ne eam Ordines suspectã habituri sint, quasi postea Serenis. Rex

Rex nobiscum de vsu vel non vsu priuilegij disputare velit. Quare melius esse putamus ità hunc articulum poni, prout iam antè in Edicto perpetuo confessus fuit art. 10.

Ad. ad l. fin. ff. de constit. princip. & ad l. voluntariè. ff. de excu. tut. cano. in c. cum accessissent. ext. de constit.

QVOD ad quartum articulum attinet, initium eius alio loco considerandum relinquimus. sed quod sub finẽ de iureiurando additur, expedire videtur verbis claris illud exprimi, vti cũ D. Ioanne Austriaco Namurci pactum fuit, ea scilicet forma quæ ab Ordinibus articulo XI. exigitur. Deinde ad hominum animos sedandos, metúque liberandos, omninò necessariũ erit oppida, arces, & munitiones Ordinum fidei permitti, eorumque arbitratu naturalibus & sibi gratis hominibus, eamque ad rem idoneis concredi & tradi. Hoc modo in quinto quoque articulo omnis difficultas auferetur.

QVOD in sexto articulo vrgetur, sua sponte eueniet, ideóque ne noua hinc suspicio & metus oriatur, qui studium retinendi arma magis, quàm deponendi excitaret, longè vtilius esse censemus, hunc articulum prorsus omitti.

SEPTIMVS articulus nihil gratiæ continet quæ orbi terrarum manifestetur, nisi Sereniss. Rex simul offerat, se velle omnia debita, quæ Ordines pro defensione sua contraxerunt, exoluere. Nam quod ad inusitatas exactiones & onera attinet, si nulla Reipub. necessitas adsit, nec Rex, nec Ordines subditis quicquam eorum imponere possunt. Habent enim ista per pacta & priuilegia nostra in singulis prouinciis suum modum. Quare rogamus & hunc articulum omitti, cùm alioquin impossi-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

possibile etiam sit in tanto ære alieno, quo Ordines obstricti sunt, onera, quæ non extorta, sed in vsum publicum concessa sunt, remittere. Idem censemus de octauo articulo.

Ad nonvm & decimum articulos, ne inuoluatur negotium multis & difficilibus altercationibus, putamus præstare, vt quæ in nono continentur, ad decreta Pacificationis Gandauensis referantur, sub qua etiam Luxemburgum & Burgundiam cõprehendi intelligimus. Decimus verò ita temperetur, ne rescindantur ferè omnia, quæ ab Archiduce, Concilio & Ordinibus collata & decreta sunt, cum multorum iniuria & offensione. Ex qua parte maior ratio militet, cuius & hîc fit mentio, dependet ex iusta vel iniusta defensione, quam Ordines hactenus fecerunt, & adhuc hodie necessariò faciunt; quod vbi opus erit, latiùs explicabitur.

Vndecimvs & duodecimus articuli non videntur habere scrupulum, modò illi qui ad munera publica adhibebuntur, eam habeant qualitatem & condicionem quæ ab Ordinibus xv. articulo declaratur.

In decimotertio articulo, qui agit de Comite Burano, referimus nos ad Gandauensẽ pacificationem, & septimũ nostrum articulũ, iisq. insistimus. Quod adiicitur de gubernatione Hollãdiæ, ad nihil aliud seruit, quàm quos per honesta & liberalia media lenire oporteret, eos suspicione extrusionis vel ablegationis magis irritare studeamus.

Qvod ad decimũ quartum articulũ attinet, nolumus nunc temporis in eam disputationem ingredi,

gredi, an dispositiones & ordinationes, quæ per Sereniss. Archiducem Matthiam, Concilium & Ordines factæ & decretæ sunt, legitimæ facultatis defectu careant. Est hæc quæstio alterius loci: sed hoc solùm nunc admonitum volumus, hunc articulum paci prorsus esse contrarium, ex quo nimirum infinitæ contentiones & lites inter subditos exorirentur, quarum euitandarum caussa, nihil arbitramur conducibilius, & Regiæ Maiest. & nobis esse, quàm vt secundus Ordinum articulus obseruetur.

Decimvs quintus articulus Pacificationi Gandauensi, quoad Hollandos & Zelandos, aduertatur. In aliis verò prouinciis, quia munera magistratuum annalia sunt, in toleratione & confirmatione eorum qui ad ea iam promoti sunt, minus periculi est; & sufficiet prouideri, vt in posterum legitimo modo nominentur & creentur, nisi velimus omnia sursum deorsum volui.

Decimvs sextus & decimus septimus præcipuum habent in hac tractatione momentũ: circa quos in primis considerandum esse putamus, Hollandis, Zelãdis & sociis pacificatione Gandauensi exercitium religionis suæ concessum esse. Quod ad alias prouincias attinet, planè necessariũ videri, si pacem ratam velimus, vt non solùm non sæuiatur in alterius, quàm Catholicę religionis homines, vti Pacificatione dicta cautũ est: sed iis quoq. exercitium suæ religionis concedatur, saltem tantisper dum cõmuni Ordinum libero voto aliter statuatur. quod si aliter fiat, timendũ est ne immaturum remedium malum exasperet, & recrudescente tu-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

multu, id quod conseruatum volumus, amittatur, atque condicione impossibili pacem quam quærimus, perdamus.

QVOD spectat ad Regiam auctoritatẽ, cuius decimus octauus articulus mentionem facit, modò ea auctoritas intra terminos legum, pactorum & priuilegiorum, item pacificationis Gandauensis, & articulorum, qui ab Ordinibus exhibiti sunt, restringatur, Ordines & omnes subditi parati erunt, se legibus, iustitiæ & regiæ potestati humillimè subijcere.

DECIMVM nonum articulum secundum nostrum decimum quartum intelligimus. Quare cùm nunc Sereniſſimus Archidux Matthias ex legitimo sanguine Regis natus, indole & ingenio quoque tali præditus, quæ Regio sanguine digna sunt, in Gubernatorem generalem ab Ordinibus assumptus sit, ne noua aliqua electio seu designatio nouas excitet turbas: & generosiſſimo Principi, cuius medio multa mala à Belgio auersa fuerunt, cum iniuria Cæs. domus aliqua molestia & nota inferatur, maiorem in modum rogamus, Sereniſſimo Regi Catholico per Cæsaream Maiest. & Celss. & Dign. V. persuaderi, vt Ordinum electionem confirmare, & articulos quibus receptus est, clementiſſimè admittere non grauetur.

QVÆ in vicesimo articulo de traditione ciuitatum, fortalitiorum, tormentorum tractantur; non putamus æquum esse quartum & quintum articulum Ordinum repudiari, præsertim cùm antea beneficio sexti articuli in Edicto perpetuo idem admissum & concessum sit.

ARTI-

ARTICVLVS vicesimus primus nullam videtur habere difficultatem.

QVANTVM ad ratificationem attinet Pacificationis Gandauensis, & Edicti perpetui, cuius in 22°. articulo mentio fit, consultius esse censemus, vt ea purè ac simpliciter approbetur, vti ab Ordinibus factũ est: ne illa videatur vllo modo in dubium vocari, & ad cõtrauenien dum viam aperiri. Quinetiã nonnihil miramur, cũ Ducem de Terranoua non lateat, quid incommodi intulerit, tam in religione, quàm in politia, Domini de Selles declaratio, qua Regis nomine & iussu significabat Maiestatem eius non esse eius animi, vt ea pacificatio rata esset, de nouo ab Excell. eius produci, quæ præcipua dictæ Pacificationis atque etiam Edicti euertunt. Quamobrem etiam Celss. & Dig. V. rogatas volumus, si quid vel à Rege vel ab Ordinibus vltra illam petitum est, id distinctè proponatur, examinetur & concordetur, salua semper ipsa Pacificatione & Edicto: eo modo securior, clarior & breuior fiet tractatio.

AD vicesimum tertium articulum de fœderibus, nihil aliud respondere possumus, quàm quod iam antè ad declarationem secundi articuli nostri à nobis responsum fuit.

VICESIMVS quartus ferè conuenire videtur cum articulis Ordinum, decimo sexto & decimo septimo: quare ad eos nos referimus.

QVOD ad reliqua attinet, dubitandũ non est, si Ordines à Ser. Rege, Principe & Domino suo naturali, iustas & æquas suas petitiones obtinuerint: quin ea omnia sint præstituri, quæ sua Maiest. à fidelibus subditis desiderare poterit.

HAVRORA BIBLIOTECA OLIVA M.I. MURPHY

CONCORDIA ARTICVLORVM, PER LEGATOS ORDINVM BELGICORVM

12. Junij, anno 1579. exhibitorum, cum Pacificatione Gandauensi, Edicto perpetuo Bruxellæ publicato, priuilegiis, ac ratione ipsa.

PRIMVS articulus consentaneus est primo articulo Pacificationis Gandauensis, atq. Edicti perpetui cum Domino Ioanne Austriaco initi.

SECVNDVS quanquam non per omnia consonet Pacificationibus præcedentibus, illis tamen nequaquam aduersatur; & ad euitandam magnam rerum confusionem multasque controuersias est planè necessarius.

TERTIVS conuenit cum decimo Edicti.

QVARTVS consentit etiam cum Pacificatione & Edicto: ac propterea non debet mutari, ne qua siniſtra suspicio Ordinibus inde præbeatur.

QVIA verò quintus articulus semel Domino Ioanni Austriaco Namurci placuit, non debet iam displicere, præsertim cùm non spectet aliò, quàm vt firmiter obseruentur & stabiliantur ea quæ inter Regem Catholicum ac Ordines transigentur ac concludentur.

SEXTVS concordat cum nono Pacificationis, & octauo Edicti. Propterea verò quòd septimus conformis est priuilegiis ibidem memoratis (quæ Regia Maiestas statuit inuiolata conseruare) is non potest vllo modo recusari, sed nec Illustrissimus Dux Terra-nouanus eum recusat, præsertim cùm nulla subsit iusta aut legitima causſa, quare Comes Buranus debeat captiuus detineri.

OCTA-

OCTAVVS & nonus respondent decimo septimo Pacificationis, & ad euitandam maiorem difficultatem in restitutione bonorum alienatorum, expedit iisdem verbis inhærere.

DECIMVS respondet articulo quarto Pacificationis, saltem sententiæ ac menti ipsius. Quare in eo nulla debet fieri difficultas.

VNDECIMVS cùm faciat ad maiorem corroborationem Pacificationis Gandauensis, Edicti ac Vnionis (quæ omnia à Regia Maiestate approbata sunt) iam non potest non etiam gratus esse; præsertim cùm ea sint totius huius tractationis fundamentum.

ETSI verò duodecimus Regiæ Maiest. nimium videatur durus, ac non ferendus, tamẽ quia ad conseruationem ecclesiasticorum ac omnium Catholicorum, atq. adeò ipsius Religionis Catholicæ Romanæ, est omnino necessarius, ad quem finem Pax religionis, dicta *Religions-friedt*, etiam admissa & recepta est: Regia Maiest. debet omnino se sinere persuaderi ac induci, vt toleret id, cui iam mederi non potest; tanto magis, quia petitur per modum permissionis, videlicet donec per Ordines generales aliter decretum fuerit.

DECIMVS tertius vtilis est ad excludendas multas difficultates, quę super noua denominatione aut electione Gubernatoris moueri possẽt: quarũ, durãte hac diffidẽtia, magna ratio haberi debet.

DECIMVS quartus non videtur admodum discrepare à mente Regiæ Maiest. excepta clausula, quæ distinctionem facit, inter eos qui à partibus Ordinum steterunt, & aliorum.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

DECIMVS quintus & decimus sextus cum æquitate ac ratione planè consentiunt, vt scilicet ij qui Ordinibus suppetias tulerunt, in pacis tractatu comprehendantur. Quod ipsum etiam per suos articulos Illustriss. Dux Terra-nouanus æquum iudicauit.

DECIMVS septimus & decimus octauus faciunt ad plenam securitatem, & ratihabitionem huius pacis, quã Regia Maiestas non minus quàm ipsi Ordines desiderat: itaque nulla est in iis difficultas. Actum Coloniæ XI. Iunij, Anno LXXIX.

EPISTOLA PRINCIPIS PARMENSIS AD DVCEM DE TERRA-NOVA, VERSA EX *autographo Hispanico, secretis notis conscripto.*

EXPEDIVERAM veredarium super eo, quod tua Excell. ad me scribit, ac certiorem facit, quanta contentione ab ea postuletur suspensio armorum; sibique significari cupit, quid rerum hic agatur, vt sese iuxta id meliùs comparet. Ad quod hoc tantummodo habeo dicere, nempè præter id quod superioribus diebus actum est, nos imminere & incumbere propugnaculo portæ, quæ Bruxellana vocatur, ac iam vicisse eius occultum iter, quod hostes commodè poterant tueri aliquot dies. Ereximus proximè illud propugnaculum editam quandam planitiem, ex qua poterimus impedire ne hostis eo sese iuuet. Hac nocte absoluentur tres cuniculi subterranei, qui per fossas oppidi ducuntur: Crastina verò nocte, si Deo placet, planta-

plantabuntur tormenta bellica ad fossam, ad quatiendum vterum propugnaculi, vnà cum turriculis portarum, ac demendum illis latera defensionum. Et quantum iudicare possumus, intra xij. aut xiiij. dies potiemur ipso propugnaculo; poterimusque secretò scalpturam inchoatam absoluere, donec facultas dabitur cominus manus conserendi in ipsis mœnibus, id quod quærimus. Tempus quod post expugnatum propugnaculum necessarium erit ad intrandum oppidum, non possum explicare: fieri potest vt opinione breuius futurum sit. quoniam plus actum est his paucis diebus, quàm videbatur fieri posse iis qui rem intelligunt, & qui non viderunt, non possent facilè credere. Adeò vt hostes non amplius eam animositatem ostendant, quam hactenus ostenderunt, rarò etiam in nos eiaculentur: neque videntur tantum laborare ad se muniendum & tuendum eo loco, vti fecerunt aliis locis, tum propter loci situm, tum quia ibi raræ sunt defensiones, eæque superatu faciles. Verùm tandem Domine, necessum erit dimicare & fortunæ aleam experiri. Illud verò tuæ Excell. confirmare possum, quòd ne momentum quidem temporis negligetur nec noctu nec interdiu, vti neq. hactenus neglectum est. Neq. enim dũtaxat fossores cuniculis agẽdis adhibentur, sed etiam milites, qui ostendunt hoc sibi placere, cùm videant omnia tali ordine fieri, vt non possit non bene succedere. Qua occasione quanto magis procrastinabitur armorum suspensio, melius erit huic expeditioni. Et meo iudicio tua Excell. poterit eã iusto fundamẽto differre. Primò, eo prætextu, quo

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ МЕЧНИКОВА

tua Excell^a vſa eſt, videlicet petendo à Dominis Commiſſarijs; num Mandatum Ordinũ ſufficiens & idoneum ſit ad concludendum negotium articulosque controuerſos. Deinde colore condicionum, quibus fieri poſſit dicta ſuſpenſio. Cetèrùm mea ſententia hoc potiſſimùm hìc conſiderandum eſſet, vnde ad ſuam Maieſtatem plus fructus redundare poſſet: ideoque animaduerti debet quænam ſit ſpes huius tractationis. Quòd ſi cenſes pacem iniri poſſe, etiamſi te extendas ad vltimum & extremum tui Mandati, non eſt cur differatur armorum ſuſpenſio: quia cùm relinquendum ſit nobis Traiectum, vnà cum aliis oppidis, eo caſu parui momenti erit hoc oppidum cepiſſe, quodq. maius eſt, parcetur multis militibus ac pecuniis inſumendis in expugnationem. At ſi non fiat tibi veriſimile hunc tractatum poſſe ad effectum perduci, intelligasque ad quid ſpectet princeps Auraicus, nempè ad tempus extrahendum, diuertendum legiones Wallonũ à ſuo propoſito, huic oppido ſuccurrendum & ſuas res ſtabiliendũ, non ſuaderem, vt ſimul tempus trahendo vel cum Imperatore, vel cum Commiſſariis, tua Excell. adducatur ad aliquid faciendum quod poſſit impedire hanc expeditionem, à qua pendet omne id quod poſſidemus, & conſequi ſperamus. Quod ad me attinet, non dubito ſi Auraicus poteſt Traiecto aliqua via ſuppetias ferre, id faciet; & ſi illud efficiat, non ſolùm hæc expeditio, ſed ne vlla quidem alia ad bonum finem perducetur. ſed cognito maligno ſtatu rerum noſtrarum, redibunt ad ſuam vnionem, & eireliqua omnia adiungent, ſub ſpe peruenien-

niendi ad ſcopum ſuæ intentionis. Neque enim certò mihi adhuc perſuadeo Hannonienſes & Arteſienſes procedere eo zelo, quo diuulgarunt; ſed potiùs contrarium credendum eſt; ſi verum eſt (vti Comes Berlamontius mihi dixit) ſe hodie intellexiſſe, Matthiam hunc noſtrum tractatum cum iis diuertiſſe, ſuis ad eos miſſis litteris & technis, quibus vſus eſt medio Comitis à Lalain & aliorum. Bene video quòd ſis ea prudentia, & huic ipſi negotio intentus potuiſſe me excuſare à mentione ſupradictorum: tamen volui tibi ea ſignificare, quia ad id obligatus ſum. Collatio Abbatiæ S. Bertini ſuſpendetur, quantũ fieri poteſt, prout tua Excell. deſiderat. cuius manus oſculor, hoc eſt, cui gratias ago, pro eo quòd promoueris expeditionem factam pro Domino Ioanne de Boria. Precor vt eadem tradatur ei qui expeditionem his adiunctam deferet, quæ concernit negotium Veſuntionis, in quo magna diligentia vtendum eſt, quia adeò feſtinant & accelerant tractatum ſuæ confœderationis. Tanta hìc laboramus penuria, vt fuerim eius animi rogare vt mihi opem ferres quindecim aut viginti millium coronatorum, quum intelligam te facultatem habere eos mihi mutuò dandi, ſed malo id reſeruare in extremum vſque. Interea mandatum & negotium do Ferdinando Lopez vt numeret duos menſes ſomatophylacibus tuæ Excell. quam non poſſum non monere, quamuis ſuperuacaneum ſit, quòd medio pecuniario multæ difficultates poſſunt explanari, ſi tua Excell. pecuniam largiatur non nullis familiaribus miniſtris Commiſſariorum, eoſque

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

hac via expugnet, atque alios quos conuenire arbitrabitur. Hoc compendio multa poterunt resecari. Dominus Deus tuam Illustrissimam & Excellentissimam personam conseruet vti ea desiderat. Ex castris ad Traiectum Mosæ, XXI. Maij M. D. LXXIX.

Tuæ Excell. Seruitor

Alexander Farnesius.

XVII. Iunij, Domini Commissarij ad legatos Ordinum quosdam suos consiliarios mittunt, qui tradunt iis responsũ Ducis de Terra-noua, simulque verbis ipsorum indicant, se nihil operæ & laboris prætermisisse, quò moderatiora quædam & propiora petitioni Ordinum ab Excellẽtia eius impetrarẽt, sed nihil se efficere potuisse: monere ergo vt articulos pridem exhibitos ad Ordines transmittant; si æquabile aliquod responsum dederint, quòd parati sint, se quoque ad omnem rationem accommodare.

VITIA Mandati iterum exponunt: deinde significant, cùm difficile & molestum sibi sit inter arma de pace inter partes tractare, iterum se sermonem cum Duce Terranouensi de cessatione ab armis contulisse, qui declarauerit se paratum esse ad eam attendere, modo spem aliquam concipere posset pacem conciliatum iri. Quare, cùm articulos Ducis pro valdè æquis habeant, darent legati Ordinum operam, quò & ipsi petitiones suas ita tempe-

temperent, quæ spem illi de pace dare possent; quo facto faciliùs se indutias ab eo impetraturos.

AD quod legati Ordinum in primis Dominis Commissariis pro studio & diligẽtia, quam in hoc negotio præstarent, quàm maximas gratias agunt; deinde ostendunt se non videre vllam speciem pacis, posteaquam Dux de Terra-noua articulis à se exhibitis, nullam moderationẽ adhibuisset, mirari se quoque cur Rex hoc negotium imponi Celss. & Dign. eorum voluerit, cùm non aliter se ad necessitates populi sui accommodare in animo habeat; imò cùm non cogitet ne Pacificationem quidem Gandauensem & Edictum perpetuum custodire: nihilominus asserebant quamprimùm se articulos istos ad Ordines transmissuros, eorúmque iudicium & responsum super iis cognoscere & exspectare velle.

QVOD ad Mandatum attinet, inquiũt frustra ipsos de illo cõqueri, cùm clausula illa relatiua, in qua præcipuam constituebant difficultatem, sola exhibitione Instructionis suæ iustificari possit, eamque iam esse iustificatã per articulos suos, præter quos Instructio sua nihil contineret, sed & offerebant visionem eius, vt eam perspicerent.

QVÆ dicta erãt de cessatione ab armis, ostendunt ea valdè sibi grata esse, & scire etiam Dominos Commissarios, se ab initio huius tractatus paratos fuisse in eam consentire, sicut etiã adhuc hodie parati sint: imò speraſſe hactenus, quòd Celss. & Dign. eorũ pro sua auctoritate eam indicere deberẽt, vel saltẽ effecturas fuisse, quo Dux de Terra-

noua

HAVROBA BIBLIOTEKA CHYŻ IM. I.I. MIECHOWITY

noua modum aliquem constituendi illam proposuissēt.

SVBIICIT Cancellarius Treuerensis se oblitum esse, vt Legatis Ordinum diceret, Dominos Cōmissarios postulare vt ipsi rationē vel modum aliquem indutiarum in medium adferrent; vbi eum illi intellexerint, se suum deinde officiū in iis promouēdis præstituros. Quod ad oblatam visionem Instructionis eorū attineret, respondebat non conuenire vt eam ipsi perspiciendam acciperent.

POST abitum Consiliariorū per Legatos Ordinum responso Terra-nouensis, iisque quæ suprà relata sunt, diligentiùs consideratis, visum iis est in scriptis ad ea respondere. Conceptum ergo sequens scriptum XIX. Iunij in Concilio illud proposuerunt & exhibuerunt.

RESPONSVM DVCIS DE TERRA-NOVA.

Reuerendissimi, Illustrissimiq; Electores, Principesq; & Domini S. Cæs. Maiest. delegati.

DVX de Terra-noua Regius Mandatarius, viso scripto Legatorum Belgij Ordinum ex vestro communi decreto sibi XVI. præsentis mensis communicato: quandoquidē ipsimet Legati apertè confiteantur, se ad exhibendū eiusmodi scriptū omnino nihil mādati ab Ordinibus Statuum tenere, sed tantùm vt seruiat pro consilio, ac aliâs citra partium hinc inde præiudicium, se priuatim motu proprio illud exhibuisse, spe nimirum præconcepta, quòd per illustr^as V. Dign. idem Regius Mandatarius eo adducendus fuerit, editos iam pri-

pridem ab se articulos reconciliatorios, aliquanto propius vt accommodaret ad ea quæ ex parte dictorum Ordinum iam anteà postulata ac proposita fuêre.

PROPTEREA Duci haud aliud occurrit, quòd inpræsentiarum responsum iri conueniat, quàm illud ipsum quod in exordio præcedentis sui postremi scripti satis superque rotundè declarauit; vtpote hoc rerum statu nihil tam procurandum sibi fuisse, quàm vt disputationū quarumlibet occasionibus amputatis, promptè non minùs quàm purè ac liberaliter in sinum amplissimi huius consessus depromeret vniuersum illud quod sua Maiestas Catholica deinceps constituerit suis subditis clementer concedere & elargiri; cuius quidem consilii illa potissimùm fuit ratio, quòd ad accelerationem reconciliationis tantoperè prouincialibus necessarię, eiusmodi via sperabatur omnium compendiosissima futura.

POTISSIMVM quòd Dux sibi probè cōscius, articulos ab se propositos, tanta iustitia & æquitate suffultos esse, quòd iure sperari debeat ab Ordinibus Statuum citra omnem cunctationem acceptandos fore, eo magis, quòd quicunque vacuus præsertim ab inordinata passione rem penitiùs expendere volet, haud dubiè iudicauerit, quòd S. Maiestas, tanquam verus pater patriæ, per eiusmodi paternas oblationes admodum largiter suis subditis satisfecerit. Quamobrem consultè facturi videntur supradicti legati, si modò curent eosdem articulos ad ipsos Ordines citra moram destinari. Proderit enim res illa, vt ne temporis vlte-

rior

HAVRORA BIBLIOTEKA OHU im. I.I. MECHNIKOVA

rior ſubeunda ſit iactura cum tanto ſalutis publicæ præiudicio, prout ipſimet ſuo ſcripto ſatis ſuperque innuere videntur.

PORRÒ vbi tandem apparuerit de Ordinum vel acceptatione vel congruo aliquo reſpõſo, tunc ſi Illuſtriſſ. V. Dign. videbitur articulos quoſdam ſupereſſe, ad ſubditorum iuſta ſolatia pleniùs non nihil accommodãdos, aut benignioris cuiuſpiam declarationis temperamento egentes, haud recuſat dictus Dux ſimilium articulorum gratia, in amicabilem communicationem deſcendere, prout Illuſtriſſimus V. Dign. conuenire arbitrabuntur.

CETERA autem dicto ſcripto comprehenſa, poſtquam eius generis eſſe videantur, quæ inter Illuſtriſſ. V. Dign. tanquam Cæſ. Maieſt. delegatos ac ipſos denique Ordinum Belgij legatos ſeorſum tractata fuêre, non poteſt non idem Dux ad ea ſe referre, quæ ab Illuſtriſſ. V. Dign. eatenus vlteriùs decernenda forent. Actum Coloniæ XVII. Iunij, Anno LXXIX.

SCRIPTVM LEGATORVM ORDINVM.

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, Generoſe, Nobilis, Sacr. Cæſ. Maieſt. Commiſſarij.

Quæ ſcilicet in mandatis expreſſè habebãt.

VTCVNQVE ea quæ proxima annotatione noſtra exhibuimus, magis cõſilij loco, quàm Ordinum mandato ſingulari (illa enim iam antea binis articulis propoſuimus) deducta & explicata voluimus: nihilominus Celſſ. & Dign. V. facilè intelligunt, nihil in ea annotatione reperiri, quod prædictis articulis in vllo puncto contrarium & aduerſum haberi poſſit.

QVARE conſideratis difficultatibus, quas in ea recenſuimus, non fruſtra ſperauimus Ducem de Terra-noua Regium legatum per Celſſ. & Dign. V. inductum iri, vt propiùs ſe ad intentionem & petitionem Ordinum accommodaret: vel ſaltem ſperauimus ſatis materiæ hinc inde Celſſ. & Dign. V. datum eſſe, ad media aliqua ineunda & proponenda, quibus Rex & Ordines conciliari inter ſe poſſint & debeant.

VT Regius legatus voluit diſputationum quarumlibet occaſiones amputare: ita etiam nos ſtudiosè cauimus ne iuſtificationem cauſæ noſtræ ingrederemur, quæ fortaſſis offenſionem aliquam adferre potuiſſet.

QVAMOBREM hactenus nõ alijs argumẽtis, quàm ab iis quæ iã antè conuenta & concluſa fuerunt, item à neceſſario & impoſſibili vſi fuimus.

SED cùm videamur vrgeri à Regio Legato multo grauioribus argumẽtis, à liberalitate, ab indulgentia & paterna affectione Regis erga nos, item à iuſtitia & æquitate eorũ quæ offerũtur, metuimus ne iis argumentis Celſſ. & Dign. V. commoueantur, quominus ad alia media quæ cõciliationi mutuæ ſeruire poſſunt, progrediantur.

ITA inuiti cogimur cõtra ſcriptũ illud Regij Legati tantùm replicare, amplecti nos gratiſſimis animis liberalitatem Regis, indulgentiam & paternum eius affectum erga nos: ſed viciſſim rotundè dicimus, ea quæ per Regium Legatum offeruntur, in

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУМ ІМ. І. МЕЧНИКОВА

tur, in substantia parũ cum affectu isto conuenire.

NAM quòd ad leges, consuetudines, pacta, & priuilegia attinet, ea nostra sunt, nec vnquam nostra esse desierunt, quippe quæ per Regem aboleri, inuerti aut tolli, nec olim potuerunt, nec adhuc hodie iure possunt.

SIC etiam tributa & vectigalia apud nos certum suum habent modum, quem Rex nec augere nec minuere sine consensu Ordinum potest. Dignitates quoque & officia non nisi certis condicionibus conferri queunt: multo minùs possunt aut debent subditi per Gubernatores & Consiliarios Regis, per Duces & milites eius iniustè premi, spoliari & violari.

SI quis nunc porrò perpendat, quid in his omnibus per Regios Gubernatores & Duces in Belgio notoriè actum sit, is simul inueniet, cùm ad varias Ordinum supplicationes Rex nullum remedium iis malis adhiberet, eos iustè & legitimè, iuxta communem Theologorum & Iurisconsultorum sententiam, arma contra Gubernatores & Duces istos, ad corpora, bona & iura, tum sua tum suorum defendenda, suscepisse.

Scholasticorum Theologorum & Iurisconsultorũ sententia.

DEINDE hac defensione iusta cõstituta, prout est iustissima, nec vnquam apud vllam gentem in dubium reuocata, nemo etiam non intelligit, quæ interea temporis ex necessitate Reip. per Ordines acta, decreta & ordinata sunt, ea legitima potestate acta, ordinata & decreta esse.

ALIOQVIN quod ad debitã obedientiam attinet, quã Ser. Regi, Principi & Domino nostro naturali, præstare obstricti sumus, nunquã recusauimus,

imus, nec adhuc præstare eam, iuxta leges, pacta, priuilegia & pacificationes, iam antè initas, recusamus.

OMNES ergo articuli Ducis de Terranoua, qui de prædictis rebus loquuntur, propterea iusti & æqui sunt, quia proficiscitur ex iure, quod subditis competit: gratiam autem & liberalitatem nõ habent aliã, quàm quod in iis Regis nomine promittitur, Maiestatem eius velle posthac subditos suos, quo ad personas & iura ipsorum, saluos & incolumes conseruare.

VNICVM punctum est religionis, in quo Ordines concorditer, propter præsentes necessitates & communem quietem, quidam etiam propter conscientias suas, quæ Dei moderationi & regimini subiectæ sunt, aliquid sibi cũ gratia Regis permitti & concedi cupierunt: sed nihil amplius hîc Ordinibus per Regium legatum offertur, quàm vt illi, qui sunt alterius quàm Rom. Ecclesiæ religionis, mitioribus posthac pœnis, quã antea propter professionem suæ fidei obnoxij sint & coërceantur; vel si pœnas istas euitare volunt, bona, sedes auitas & cognationem suam deserant. Quæ oblatio an tantopere à iustitia & æquitate commendari debeat, per ea quæ ab initio exposuimus, manifestum est.

HÆC paucis tantùm attingere & proferre voluimus, suo tempore, si opus est, latiùs exponenda & deducenda, in eum finem, vt Celss. & Dig. V. perspiciãt, etiamsi libẽtissimè omni animi demissione præsentem tractationem cum Regio legato inire cupiamus; tamen nec diuino nec humano

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНЛАЙН ЛЬВІВСЬКОЇ

iure nos destitui, quo causam nostram coram Deo & coram toto mundo defendamus. Agnoscimus quidem Regis nos esse subditos, sed ita subditos, vt inter nos respectiuè illud ius hîc locum habere debeat, quod inter Dominum & Vasallos obseruatur, & in quibusdam rebus strictius; quod suo loco ostensuri sumus.

ILLORVM ergo respectu Illustrissimus Dux Arschotanus, & nos reliqui Ordinũ Legati Celss. & Dign. V. amicè, humillimè, humiliter, & officiosè seorsum rogatas volumus, vt iis sic placeat in hac causa agere, tãquam inter partes quæ ambæ se iure & iustitia suffultas esse arbitrantur, quibus vtrinque varia media, ad mutuam earum cõciliationem, proponi æquum sit. Nos nihilominus articulos, à Regio Legato exhibitos, ad Ordines trãsmittemus, super iis iudiciũ eorũ requisituri: valde tamen timemus, nisi Regius legatus propiùs se, & præcipuè in puncto religionis, ad petitionem Ordinũ accommodare velit, omnem laborem per Celss. & Dign. V. frustra fumi. Sed hæc hactenus.

QVOD ad mandatum attinet, exhibemus adhuc vnum mandatum, in quo prouinciæ, quarum nomine huc comparuimus, exprimuntur: condicio eidem inserta difficultate caret, cùm nihil prorsus agere statuamus, quod nõ Instructioni nostræ per omnia respondeat. Et si opus fuerit, dabimus operam, vt Ordines, tam generales quàm particulares, rata & grata sint habituri quæcunque hîc concludentur.

VLTIMO, de indutiis quas Celss. & Dign. Vis iterum proponere placuit, sub eadem spe pacis, qua illas

qua illas Regius legatus concedere paratus est, nos quoq; easdem arbitrio & pietati vestræ committimus. Quod ad formulam earum attinet, Ordines tales indutias inire parati sunt, quæ non sint communicabiles, hoc est, vt neutra pars iis durantibus possit tractare, negotiari, aut communicare in iis locis aut ciuitatibus, quæ à parte aduersa detinentur; sed tantùm liberum & tutum sit, vtrique parti ad eos locos & ciuitates commeare & remeare, inuehere & euehere, item in iis versari, agere & negotiari, quæ earum quælibet tenet & occupat. Actum xix. Iunij, An. LXXIX.

MANDATVM LEGATORVM ORDINVM ALTERVM.

NOS Matthias gratia Dei Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Wirtenbergæ, Comes Habsburgi, Tirolis, Gubernator, & Capitaneus generalis Belgij seu Germaniæ inferioris: & Prælati, Nobiles ac Deputati ciuitatũ, repræsentantes Ordines prouinciarum & ciuitatum in eâ sitarum, nempe Brabantiæ, Geldriæ & Zutphaniæ, Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Tornaci, Tornacesij, Vltraiecti, Mechliniæ, Frisiæ & Transisulaniæ, ad hoc specialiter & sollẽniter cõuocati cõpetenti numero in ciuitate Antwerpiẽsi; omnibus, qui has præsentes litteras visuri sunt, salutẽ. Quandoquidem communicatio per nostros Deputatos in ciuitate Louaniẽsi habita. [Quæ sequuntur de verbo ad verbum eadem sunt Mandato in initio exhibito. Vtriusq. etiam idẽ Datum,

HAVKOBA BIBLIOTEKA OHY im. I. VIEHIROBA

eadem ſigilla,& eædem ſubſcriptiones ſunt.

XXIIII. Ivnii, Domini Commiſſarij Legatis Ordinum exponunt, in quibus periculis ipſi exiſtiment Traiectum ſuperius poſitum eſſe:quare ægrè ſe viſuros,nec conuenire pacis tractationi, nec etiam perſonis ſuis, vt per vim illud occupetur,propter ſanguinis effuſionem,aliaque ſcelerà, quę expugnationem eius certiſſimò ſecutura ſunt. Si ergo ad hoc adduci poſſent, vt ſeſe dedere vellent,daturos ſe operà,vt ea deditio ſaluis vita, bonis,& honore fiat. Hæc ſumma fuit eorũ quę tum legatis Ordinum dicta fuerunt, ſed cum pluribus verbis & argumentis, quorum magnam partem multi ex iis non intelligerent;abſentibus etiã nonnullis linguæ Germanicæ magis peritis: deinde quòd res magni momenti eſſet, dedere ciuitatem in manus Hiſpanorum, rogarũt ea ſibi in ſcriptis exhiberi,vt fideliter omnia ad Ordines perſcribere queant,ne quid plus aut minus ſcriberẽt,quàm quod à Cancellario dictum erat.

Ad hoc reſponderi illis Celſſ.& Dign. eorum fecerunt,ſui moris non eſſe,vt in ſcriptis ea tradãt quæ ore tantùm propoſita & explicata velint: ſed ſi minus rectè,quod dictũ eſſet,percepiſſent,Cancellarium priuatim de ſingulis libenter illos inſtructurum.

Hi quatuor fuerunt,Dominus de Grobendonck, Meetkerke, Van der Milen, & Albada.

Ordinati ergo quatuor ex illis, à prandio Cancellarium accedũt, quibus Latinis verbis exponit,quæ ipſi excipiunt. Aliquoties iam ceſſationem ab armis propoſitam fuiſſe, ſed ſemper eam Ducem de Terranoua recuſaſſe, ex ea cauſa quòd articuli

articuli Ordinum nimis ſibi viderẽtur duri, & tales,ſuper quibus pax coiri non poſſit. Non ſolere ceſſationem ab armis concedi, vbi non certa ſpes pacis offeratur. Deinde quòd nõ vidiſſet Mandatum ipſorum, vt ſcire poſſit an integrũ ſit,Excell. eius magis id pro vitioſo,quàm pro integro habere, propterea quòd exhibitio eius ſibi denegetur. Quod cur factum fuerit,iam antè declaratũ fuiſſe. Addebat:Cùm quodam tempore Terranouenſis ad indutias à Treuerenſi ſuo Principe vrgeretur,eum reſpondiſſe contẽtum eſſe in eas conſentire, modò Principes Electores Regi ſecuritatem præſtarent,ſi pax non cõciliaretur, vt ciuitas Traiectẽſis in manus ipſius reſtituatur. Ad quod cùm Treuerenſis replicaſſet,quomodo reſtituenda ſit, quæ nondum capta foret; Terranouenſem ſubieciſſe,quòd haberet eam tali loco,quaſi iam in manu Regis conſtituta eſſet.

Postea qvam ergo Domini Commiſſarij cum ex Duce de Terranoua,tum etiam ex relatione aliorum intellexerint, Traiectenſes in extremo diſcrimine poſitos eſſe, & deſtitui omnibus medijs,quibus ſe diutiùs tueri poſſint, occupata iam ab Hiſpanis vna parte ciuitatis, cum parte aliqua murorum & portarum,ita vt aliud colligi nõ poſſit, etiamſi vallum & meniſcum econtrà obduxerint & oppoſuerint,eos tamen in manus hoſtium peruenturos: Celſſ.& Dig.eorum commiſeratione erga eos motos, & ad euitandam effuſionem ſanguinis,cùm non ignorarent Hiſpanos propter amiſſionem in ea obſidione multorum inſignium præfectorum & militũ irritatos,omni crudelitate

HAVRORA BIBLIOTECA ORIENTALISTICA

in ipsos vsuros esse; consultum iis visum fuisse, media aliqua proponere, quibus liberari possint, & vt vnà cessatio ab armis ad tempus quoque cõcedatur.

Nota temporis breuitatem. hoc die, qui est xxiiij. propositio ista facta est. responsio ab Ordinibus xxv. deliberatio super ea xxvi. Intra tres deinde dies (xxx. enim sequenti summo mane occupata fuit ciuitas) & scribi ad Parmensem ciusq. consensus (simulatè vt ex hoc sermone Ducis facilè percipitur) requiri: deinde legatio à Dominis Cõmissariis decerni & mitti debuit.

ITA egisse Celss. & Dign. eorum cum Duce de Terranoua, vt permitteret ipsis cum obsessis agere, quò ciuitatem Regi tradant, saluis, vitâ, bonis & honore: & si pax constituatur, iisdem ea condicionibus & beneficiis fruatur, quibus reliquę prouinciæ; & vt postea indutiæ ineantur, ne ab vna aut altera parte vlteriùs procedatur.

VERVM Ducem de Terranoua ad hæc ipsis respondisse, quòd ad tractationem illam de dedẽdo vrbem attineret, id non ex arbitrio & voluntate sua, sed Principis Parmensis pendêre: illi enim bellum, sibi negotium pacis commissum esse; nihilominus velle se ad Parmensem de eo quod sibi per Dominos Commissarios propositũ esset, scribere, spe obtinendi quod peterent; nihil tamẽ certi affirmare se & polliceri posse, propterea quod de circumstãtiis circa statum ciuitatis non instructus sit, super indutiis verò & earum condicionibus deinde se deliberare velle.

HÆC Dominis Cõmissariis ideò Legatis Ordinũ indicare visum fuisse, ne suspicarentur Celss. & Dign. eorum quicquam secretò agere velle: si haberent rationes, quibus consilium istud iis displiceret, eas ipsos libẽter audituros, cùm sint personæ Ecclesiasticæ; neque opprobrio carere possit, si patiantur quasi in sua præsentia tot viros fortes trucidari, proponere ista voluisse.

AD ea ordinati illi quatuor tum temporis nihil aliud

aliud responderunt, quàm se fideliter ista ad Ordines relaturos, sine quorum scitu & consensu nihil in re tanti momenti agere auderent; sed tamen tolerabilius & sibi & sine dubio Ordinibus visum iri, si in manus Imperij ciuitas illa, quæ alioquin pro dimidia parte ad Imperium pertineat, traderetur. Ad quod Cancellarius respondebat, propositum quidẽ id esse Duci de Terranoua, sed prorsus illum ad id attẽdere noluisse. Idem respõsum quidam ex nostris Electori Colonienſi & Comiti à Schwartzenberg manè dederant, à quo illi non ita alieni videbantur.

XXV. Iunij, vbi omnes ad ædes Ducis Arschotani conuenissent, & quatuor illi, quæ exceperant ex ore Cancellarij, Duci & reliquis legatis prælegissent, in primis animaduerterunt ex altera parte nihil adhuc concluſum & conceſſum esse. Secũdò intellexerunt eo die & sequẽtibus ciuitatẽ oppugnatũ iri; id si verũ esset, hoc quod propositũ fuerat, non posse perfici. Cogitabãt porrò, aut Hispanos in spe futuros expugnandi eã, & sic pro cupiditate vindictæ, superbia & auaritia sua, armis nõ depositis, nõ eò minus, quòd de deditione ageretur, extrema tẽtaturos, nec ab oppugnatione destituros: sin verò eã spẽ nõ habeant, nõ aliò consiliũ istud seruire posse, quã ad infirmandos & labefactãdos ciuiũ animos, atq. idcirco Ordinũ consensum sine periculo expectari posse. Tertiò cũ hactenus fama & suspicio fuisset, negotiũ pacis in euẽtũ expugnatæ istius ciuitatis retardari, magis adhuc solliciti & perplexi reddebãtur. Deniq. vt oĩa ista

HAVRORA BIBLIOTECA OFV in. I.I. MEDIOLANO

Non potuit quisquã in Cõcilio dubitare, legatos nõ ausos futuros in eam rem cõsentire, nisi Ordinũ voluntate prius cognita. Ergo non debebat tã angusto tẽporis spatio propositio ista cõstringi, vel cum scirent eã necessitatem existere, quæ legatis incognita erat, nec ab Ordinibus vnquã de ea admoniti erant, potuissent ipsi propria auctoritate cũ ciuibus, quorũ res agebatur, omissis legatis agere.

cessarent, nemo erat ex iis, qui vlla ratione putabat sibi licere sine Ordinum scitu & consensu in eam rem cõsentire, sed potius hoc discretioni & auctoritati Commissariorum relinquendum esse. Itaq. missis aliquot ad Concilium, vbi quidam ex Consiliariis Dominorum Commissariorum cõgregati erant, adductis quibusdam ex memoratis rationibus ostenderunt, quod ad se attineret, aliud nũc se responsum dare non posse, quàm iam antè dedissent; quòd vellent omnia ad Ordines referre: sed vt in commune omnibus consuleretur, nihil melius sibi videri, quàm vt indutiæ indicerentur: sine iis traditione ciuitatis facta, irruptionem Hispanos facturos in loca minus fortè munita, quorum commiseratione sperarẽt æquè Celss. & Dig. eorum affici. Deinde tutius fore, si hæc res publicè cum Ordinibus, vel saltem non sine consensu eorum, quàm si priuatim cum ciuitate ageretur. Ad quod Consiliarij isti responderunt, se velle ista ad Principes suos referre.

Hi fuerunt Iohannes V Vimphelingus D. Cancellarius Treuerẽsis, Gerardus Kleinsorg L. Consiliarius Colonienſis, Iohannes Gelchsamer D. Consiliarius Herbipolensis, Ioannes Laurman, L. Consiliarius Cliuensis.

XXX. Ivnii, Cancellarius Treuerensis vnà cum tribus aliis Doctoribus, quibus examinatio & dispositio totius negotij commissa fuerat, ad legatos Ordinum venerunt, iisq. indicabant, se inuenisse in articulis tã ab vna quàm ab altera parte editis, aliquot ambiguitates & obscuritates; priusquam ergo ea perficere possint, quæ proponere vtrique parti decreuerint, in quibus nunc occupati & impediti sint, cupere se ab illis earum ambiguitatũ & obscuritatũ explanationem & declarationẽ audire. Ex altera parte iam heri id factũ fuisse.

PRIMAM

PRIMAM aiebant esse, quòd in scripto, cui titulus ANNOTATIO DIFFICVLTATVM: quod ad quartum expedire censerent, vt iusiurandum, cuius in quarto articulo Ducis de Terranoua mentio fieret, exprimeretur claris verbis, vt cũ Domino Ioãne Austriaco Namurci pactũ fuisset ea scilicet forma, quæ ab Ordinibus articulo 11° exigeretur: sed cùm non inuenirent in præcedentibus tractatibus, nec etiam in Actis præsentibus, vllam iurisiurandi formam, idcirco se petere istius formæ, de qua cum Austriaco conuentum sit, exhibitionem.

SECVNDAM inquiebant cõsistere in reiectione articuli sexti, à Duce de Terranoua positi, quo velit vt subditi ab armorũ vsu abstinerent: hîc rationem à legatis Ordinum factam videri sibi obscurã, ideò rogare se vt maior eius fiat declaratio.

TERTIAM esse dicebant, quòd in 13° articulo Ducis Terranouensis, qui loquitur de liberatione Comitis Burani, legati Ordinum indicassent, plus sibi olim per tractatum, qui Bredæ habitus sit, oblatum fuisse, quàm nunc idem Dux Ordinibus eodem articulo offerret; petere ergo exhibitionem istius tractatus, vt eum cũ articulis Ducis conferre possint.

VLTIMÒ indicabat iis Cancellarius, Dominos Commissarios requirere, vt vnà adhuc manerent, & expectarent resolutionem Ordinum, super prorogatione termini: Celss. & Dign. ipsorum, ad eam obtinendam, simul etiam vt Mandatum perfectius mitteretur, ad Ordines per peculiarem nuntium scripsisse.

HAVROBA BIBLIOTEKA OBYWATELSKA

Ad ea Legati Ordinum respondérunt, pro quæstionibus, quas non ita magni momẽti mouissent, expectasse se oblationem articulorũ, quos Domini Cõmissarij statuerint vtriq. parti exhibere; postulare vt vel adhuc hodie exhibitio eorum fieret: hunc enim vltimũ esse diẽ, quo agere possint: Ordines etiã magnoperè admiraturos dicebãt, quòd cõtra spẽ, quã proximis suis literis ipsis dedissent, nondum articuli illi exhibiti essent: atq. ideò etiã metuere se, cùm viderint Ordines negotium ita differri & extrahi, & interea indutias non solùm à Duce de Terranoua recusari, sed nec propria auctoritate à Dominis Cõmissariis indici, vt nullo modo in prorogationem termini, qui in Mandato suo circumscriptus sit, consensuri sint.

Nihilominvs quod ad primam difficultatem attineret, cuius in Annotatione sua ad articulum quartum Terranouensis ratione iuramenti mentio fieret; declarabãt se propterea conuentus istius cum Domino Ioanne Austriaco Namurci habiti memoriam iniecisse, ne viderẽtur quid noui & alieni, quod nõ antè æquum iudicatum fuisset, petere. Sed cùm ille tractatus ad finem nõ perductus sit, non posse se exhibitionem eius facere, formam verò iuramenti satis expressè art. suo ij°. declarari, eamq. esse necessariam, vt & Ordines & populus quieti & securi constituerentur.

Ad id quod secundo loco motum sit, respondebant ex ratione ibidem addita, facilè intelligi, cur præstaret omissionem istius articuli fieri; nimirum ne ex aperta armorum prohibitione subditi suspicionem caperent, quasi depositis armis imparati

imparati opprimendi sint, præsertim vbi illi, quos antea infensos habuerint, dignitatibus & officiis suis restituantur.

Tertiam difficultatem aiebant in allegato articulo non reperiri. Sed obiter tantùm eius in præfatione Annotationi difficultatum præmissa, mentionem iniectam fuisse; sed quia tractatus ille plenum effectum fortitus non sit, haud posse se eius quoque editionem facere.

Vltimò mirari se dicebant, cur Mandati toties fieret mẽtio, cùm prorsus nulla difficultas ratione Mandati exoriri possit. Si enim pax constitueretur, omnes prouincias libẽtissimè ea quæ hîc acta sint, grata & rata habituras.

Collatis deinde inter ipsos Consiliarios & Legatos variis sermonibus, & cùm hi magnoperè cessationem ab armis vrgerent, sine qua non putabant se posse prorogationẽ impetrare, respondebat Cancellarius, Terranouẽsem ex tribus causis cessationem ab armis denegare. Primam esse, quòd foret incertus, an Mandatum illorum integrum sit. Secundam, quòd articuli ab ipsis exhibiti, tales essent, super quibus pax iniri non possit. Tertiam, quòd Regis interesset, ne prius illa concedatur, quàm ciuitas Traiectensis in potestatem ipsius veniisset.

III. Iulij, cùm Legati Ordinum 2da Iulij à generalibus Ordinibus litteras recepissent, quibus declarabant se scripta illa, quibus tituli sunt, Annotatio difficvltatvm, & Concordia articvlorvm, approbare, eaq. respõsi loco ad scriptũ Ducis de Terranoua repetita velle;

item

HAVROBA BIBLIOTEKA OKV M.P.I. WEITHROBA

item quibus indicabãt, ſe priori termino, quẽ ipſis prefixiſſent, inſiſtere, niſi maiorem ſpẽ de æquioribus articulis acciperent. Legati audientia impetrata, ea ipſa Dominis Commiſſariis primùm ore exponunt: deinde litteras ipſas Celſſ. & Dign. eorũ legendas exhibẽt, & vt Duci de Terranoua cõmunicẽtur, orant, addẽtes quòd indies expectarẽt ea media quæ vtriq. parti proponẽda ſtatuiſſent, ſe iam aliquoties Ordinibus ſpem de illis dediſſe: ſed & Ordines & ipſoſmet mirari, cur tãdiu exhibitio eorũ differretur, nec abeſſe, quin in ſiniſtras quaſdã ſuſpiciones inciderent, quarum occaſione maiores mutationes in Belgio oriri queãt. Rogare ergo vt tandẽ aliquando media iſta exhibeantur.

Vt primum Traiectũ ſuperius occuparetur, & tranſactio cum Hannonienſibus & Artheſiis perficeretur, reliquos poſtea deterritũ iri, & facilius articulos proponendos ſuſcepturos.

LITTERÆ ORDINVM.

Dominis noſtris, D. Duci Arſchotano, Principi Chimaici & Porciani, Comiti Bellomontij, Equiti Ordinis aurei velleris: Reuerendis in Chriſto patribus Abbatibus S. Gertrudis & Maricollenſi, aliiſque Deputatis Ordinum generalium Belgij, Coloniæ.

Ex Gallica lingua in Latinã verſæ de verbo ad verbum.

DOMINI noſtri, Epiſtola noſtra, XVIII. huius menſis ſcripta, fecit iam vos certiores, veſtras litteras XII. eiuſdem menſis ſcriptas, nobis fuiſſe redditas, cum articulis propoſitis per Ducẽ Terranouanum, Regis Catholici Commiſſarium, vnà cum iis quæ à vobis contrà ſunt expoſita, ad iuſtificationem articulorum, noſtro nomine exhibitorum, eorumque concordia cum Pacificatione Gandauenſi, Edicto perpetuo, & harum ditionum priuilegiis: ac poſt debitam omnium examinationem

nationem comperimus omnia per vos bene & cõgruè acta eſſe. Ceterùm quoniam ea omnia præfato Duci Terranouano ſunt exhibita, ſine noſtro expreſſo mãdato (quemadmodum etiam ipſe ſuo Latino ſcripto Dominis Cæſareis Commiſſariis tradito repetit) hac epiſtola vobis indicatum volumus, nos habere ea quæ noſtro nomine expoſuiſtis, vnà cum iuſtificatione & concordia ſupirà dictis, pro noſtro arreſto & reſolutione, vtpote quæ planè conueniant cum Inſtructione quam vobis hinc abeuntibus dedimus: eaq. propterea in omnibus & ſingulis articulis rata & grata habemus. Id quod ſtudioſè contendimus, vt velitis declarare & apertè indicare tum Duci Terranouano, tum omnibus aliis quibus opus erit; ne ſi fortè hanc tractationem rumpi ſiue diſſolui contigerit (quod Deus auertat) idem Dux Terranouanus, vel alij dicant, ex noſtra parte reſponſum non fuiſſe capitibus & articulis à ſe propoſitis, vt etiam omnes incolæ harum ditionum poſſint cognoſcere, & liquidò perſpicere, omnes noſtras actiones nõ ſpectaſſe alium ſcopum, quàm bonã & ſecurãm pacẽ, cum quiete & tranquillitate patriæ coniunctã, quæ vnica & præcipua cauſſa eſt cur arma ceperimus. Quocirca quandõquidem idem Dux Terranouanus recuſat ſeſe paci accommodare; vti conſtat per eoſdem articulos, adeò ab omni ratione alienos, omnibuſq. præcedẽtibus tractatibus, à ſua Maieſt. approbatis & ratihabitis, repugnantes; ei nõ debet mirũ videri, nec extra propoſitum, ſi hactenus inſtitimus, vti adhuc in præſentiarũ inſiſtimus, termino temporis noſtræ tractationi præfixo,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ МЕЧНИКОВА

fixo, nisi ex parte ipsius præbeatur maior spes conciliationis, præsertim in negotio religionis. Super quo expectantes vestrum responsum, precabimur Deum, vt vobis, Domini, bene firmet longam & salutarem vitam, intimoque cordis affectu nos vestris D D. commẽdamus. Antwerpiæ XXVIII. Iunij, M. D. LXXIX.

V. Excell. R R. & D D. officiosè addicti Ord. generales Belgij siue inferioris Germaniæ.

Mandato dictorum Ordinum,

I. Houfflin.

AD quæ responsum nullum aliud Legatis Ordinum à Dominis Commissariis datũ fuit, quàm velle se litteras istas Terranouensi communicare, & quòd non cessarent in mediis illis concipiẽdis, quæ vtrique parti primo quoque tempore se exhibituros esse promittebant.

IIII. Iulij, Legati Ordinum, moti litteris quas ab iisdem Ordinibus acceperant, quibus adiunctę erant litteræ Ducis Andegauensis, & Instructio, ad singulas prouincias destinata, iis inquam moti, ea quæ sequenti scripto continentur, Dominis Commissariis ore retulerunt, & litteras, tum Ordinum, tum etiam Ducis Andegauensis, iisdem prælegerunt; deinde ad petitionem eorum, dicta in scriptis exhibuerunt.

SCRI-

SCRIPTVM.

Reuerendissimi, Illustrissimi, Generose, Nobilis, Sacræ Cæs. Maiestatis Commissarij.

ILLVSTRISSIMVS Dux Arschotanus, & nos reliqui Ordinum Legati, aliquoties publicè & priuatim indicauimus, nisi Celss. & Dign. V. sua intercessione pacem inter Serenissimum Regem & Ordines constituant, metuere nos, ne Ordines necessitate coacti, de alia forma Reip. cogitare incipiant, qua se & sua, contra conatus & iniurias Hispanorum, securiùs & meliùs tueri & cõseruare possint. Nũc verò litteris ea de re acceptis, intelligimus nõ solùm super eò quod antè declarauimus, deliberari, sed & Ordines ad oblationẽ quæ de nouo à Duce Andegauensi, tam per litteras quàm per Legatũ eius facta est (quæ propterea etiam prõptiùs & gratiùs accipitur, quòd existimetur matrimonium cum Regina Angliæ contracturus) iam Instructionem concepisse, cuius exemplar ad nos quoque transmissum est; super qua consilium & voluntatem singularum prouinciarum requirere proposuerunt.

QVARE cùm pro certo habeamus, nisi pax hîc per Celss. & Dign. V. concilietur, Rege se per suum legatũ ad necessitates nostras nullo modo accõmodare volente, nec finẽ iniuriis & vastationibus exercitus sui imponente, Ordines ad actum priuationis processuros, quo declaraturi sint, Regẽ imperio, auctoritate & dominio, quod habet vel habere potest in Belgio, excidisse, subditos à iura-

mento,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

mento, quod Maiest. eius præstiterunt, esse & fore in perpetuum solutos & liberos: deinde extremè coactos, Ducem Andegauensem iuxta pacta & cõuentiones, iam antè cum Colsitudine eius initas, recepturos.

ILLVSTRISSIMVS Dux & nos reliqui Ordinum legati prætermittere non potuimus, quin Celss. & Dign. V. huius in continẽti certiores faceremus, cum hac amica, humillima, humili, & officiosa petitione, vt de huiusmodi mediis cogitare velint, quibus & Seren. Rex nobis, & nos Regi, Principi & Domino nostro naturali, æquis cõdicionibus, quas à nobis, præsertim in causa religionis, iam antè ex articulis nostris Celss. & Dign. V. cognouerunt, conseruemur. Actum Coloniæ IIII. Iulij M. D. LXXIX.

VIII. Iulij, tres Consiliarij Dominorũ Commissariorum ad legatos Ordinum venerunt, indicantes eorum verbis se Duci de Terranoua exemplum Mandati ipsorum exhibuisse; æquum ergo sibi videri, vt & illis Mandatum Ducis de Terranoua communicent.

MANDATVM DVCIS DE TERRANOVA.

PHILIPPVS secundus Dei gratia Rex Castellæ, Legionis, Aragonum, Nauarræ, Neapolis, Siciliæ, Maioricarum, Sardiniæ insularum, Indiarum & Terræ firmæ, maris Oceani, Archidux Austriæ: Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ; Limburgi,

Limburgi, Geldriæ & Mediolani: Comes Habspurgi, Flandriæ, Artheſiæ, Burgundiæ; & Hannoniæ, Hollandiæ, Zelãdiæ, Namurci & Zutphaniæ; Princeps Sueuię; Marchio sacri Romani Imperij: Dominus Frisiæ, Salinarum, Mechliniæ, territorij Traiectensis citra & vltra Isulam, & Groningæ; necnon Dominator in Asia & Africa. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium vniuersis: Quòd cùm ex parte Sereniss. & potentissimi Principis Domini Rudolphi Romanorũ Imperatoris Augusti, consanguinei, affinis, & fratris nostri charissimi, propositũ nobis fuerit, vt ad sedandos nostrarum inferioris Germaniæ ditionũ tumultus, de aliquibus concordiæ condicionibus agi permitteremus: Nos qui amore paterno eos Status vnicè prosequimur, nihilq. hactenus studiosiùs curauimus in iis omnibus quæ ibi gesta sunt, quàm vt illos ad quietem illis vtilissimã reduceremus, nunc quidem etiã libenter in eandem ipsam cogitationem, & voluntatem venimus Itaque cùm prædictus Sereniſſimus Imperator Cõmissarios, qui de ipsis condicionibus agant, sit nominaturus; Nos itidem elegimus, nominauimus & deputauimus, sicut tenore præsentium eligimus, nominamus & deputamus, Illustrem, fidelem nostrum dilectum Don Carolum ab Arragonia, Principem Castri-vetrani, Ducẽ Terrænouæ, Marchionem Auolæ, Comitem Bergedij, cõsanguineum nostrum, magnum Conestabilem & Admiralum Consiliariumque in nostro vlteriori Siciliæ regno, propter singularem opinionem & fidem, quam de ipso eiusque integritate & pru-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОГУ ім. І. МЕЧНИКОВА

dentia habemus, deq. eius optimo zelo, quem erga Dei cultum & communẽ Christianæ Reipub. vtilitatem, necnon erga priuata nostrarum rerum & statuum commoda studiosissimè gerit: eidemque propterea potestatem, facultatem, auctoritatem, commissionem & speciale Mandatũ damus, concedimus & elargimur, vt pro nobis nostroque nomine intersit & assistat, vnà cum prædictis Commissariis ab eodem Sereniſſimo Imperatore nominandis, & cum aliis quoque ab iisdem nostris Statibus inferioris Germanię personis deputandis, sufficientia Mandata ad eandem rem habentibus, in loco ad eam congregationem & conuentum per prædictum Sereniſſ. Imperatorẽ designato seu designãdo, vt ibidem dictus Dux, tanquam Commissarius & Mandatarius noster, proponere, cõmunicare, approbare & concedere possit & valeat, quæcumque media, condiciones & articulos, quos seu quæ ipse viderit expedire ad bellicos motus in dictis nostris Statibus sedãdos, & firmam pacem, concordiam & tranquillitatem ibidem constituẽdam, vt & pacificè viuant (quod maximè illorum refert) & religionem Catholicam Romanam, nostramq. auctoritatem & obedientiam seruent. & generaliter & nostro nomine, ac pro nobis dicere, tractare, facere, promittere & concedere possit & valeat, quæcumque ad prædictum finem & effectum cõsequendum opportuna & conuenientia esse iudicauerit, & quæ nos ipsi, si præsentes ibi essemus, faceremus, facereque possemus. Et si talia essent quæ mandatum exigerẽt magis speciale, quã præsentibus est expressum:

Promit-

Promittentes in fide & verbo Regis & Principis nos gratum, ratum, firmum & stabile perpetuò habituros quicquid per prædictum Ducem Terrænouæ, virtute huius nostri Mãdati & Commissionis dictum, pactum, factum vel conuẽtum fuerit, illudque inuiolabiliter & absque vlla diminutione obseruaturos, impleturos; obseruari & impleri facturos, harum testimonio litterarum, manu nostra subscriptarum, sigilliq. nostri appensione munitarum. Datum in oppido nostro Madrito die x x x. mensis Augusti, Anno à natiuitate Domini milleſimo, quingenteſimo, septuageſimo octauo. Regnorum autem nostrorum, videlicet Hispaniarum & vlterioris Siciliæ viceſimo tertio: citerioris verò, Hieruſalem & aliorum, viceſimo quinto. Signatum, *Philippus*. Et inferiùs;

Ad mandatum Regiæ & Cathol. Maieſt. proprium,

Gab. à Cayas.

X. Iulij, Legatis Ordinum sub horam quartam pomeridianam vocatis, in hunc modum ad illos Domini Cõmissarij verba faciũt: Articuli vtrimq. exhibiti; quoniã valde essent differentes, & discrepãtes, plurimorũ etiam tractatuũ in iis mẽtio fieret, lõgiore se tẽpore ad eos perpendẽdos & cõciliãdos vsos fuisse. Alioquin etiã per se causam esse grauem, quæ matura deliberatione opus haberet. Nõ ergo debere ipsos morã illã quæ interceſſiſſet, ægrè ferre. Nunc verò circa ea quæ politica sint,

HAYDOA BIBLIOTEKA ORIG. IN LIMEBRICOBA

exhibere se articulos, quos valde æquos esse censerent, quales etiã eos Cæs. Maiest. sine dubio, etiãsi nõ viderit, habitura sit. monere ergo & rogare, ne grauentur eos approbare & recipere, simul etiam Ordines vt idẽ faciant, exhortari. Secũdò exhibere se alios quoq. articulos de religione, cũ hac additione, se nihil amplius, quàm quod illis expressum sit, à Regio Legato obtinere potuisse. At si ipsi Legati vltrà quid, vel ab illo, vel à Rege, impetrare possent, id libẽter se laturos & cõprobaturos esse.

AD illa Legati Ordinũ primùm Celss. & Dig. eorum pro labore & diligentia quam in hoc negotio sumpsissent, gratias agunt; deinde indicant se velle articulos illos perspicere, & si quid ex tempore ad eos respondere possent, id se facturos esse; sin minus, ad Ordines transmissuros.

ARTICVLI CIRCA POLITICA.

PRIMO Pacificatio, anno LXXVI. die VIII. Nouembris Gandaui inita & constituta, Vnio quoq. Bruxellis IX. Ianuarij anno LXXVII. subsecuta, Edictũ insuper perpetuũ Bruxellis XVII. Februarij anno eodẽ publicatũ, vnà cũ approbatione Regia, saluis sequentibus articulis, seruabũtur.

Non per omnia ergo approbantur.

II.

ET quia præterea quæ à tempore primorũ motuum acciderunt, post iam dictos tractatus Pacificationis Gandauensis, Vnionis & Edicti perpetui vltrò citroq. varia facta, dicta & admissa fuere, tam in generali quàm in particulari, hac præsenti quoq. Pacificatione nõ minùs posteriorum istorum

Ex duobus articulis Terranouensis hic vnus constituus est.

istorum factorum & dictorum, quàm eorum quæ anteà contigerunt, perpetua obliuio constituatur, ita vt eorum nulla fiat amplius mentio, exprobratio aut inquisitio, quasi ea nunquã accidissent; idque sub pœna exẽplaris correctionis subditis contrauenientibus, tanquam perturbatoribus tranquillitatis publicæ, infligenda.

III.

REX Catholicus vasallis subditisq. suis seruabit, manu tenebit, & si opus videbitur etiã denuò confirmabit omnia & singula iura, vsus, consuetudines, immunitates, exemptiones & priuilegia quarumlibet prouinciarũ, ciuitatum, oppidorum, Communitatum, aliorumq. priuatorũ omnium, tum in genere tum in specie, quemadmodum in Edicto perpetuo, articulo 10. & cùm prouinciis Belgicis inauguratus extitit, promisit & iurauit.

Conuenit cum 3. articulo Terranouensis.

IIII.

OMNES milites extranei, vtpote Hispani, Itali, Germani, Burgundi, Angli, Scoti, ac cæteri omnes peregrini, qui propter hosce motus vtrimque accersiti sunt, prouinciis Belgicis ab hac pace promulgata, intra N. terminum simul excedent & eodem tempore.

Idem cum 4. Terranouens. vsque ad vers. Et quod illorum.

V.

QVOD verò attinet ad alios milites non extraneos, etiam ad pleniorẽ exonerationẽ afflictorum subditorum, mandabit Rex vniuersum militem, tam terra quàm mari, eodem quoq. tempore exauctorari & dimitti, vt nimirum deinceps sibi priuatim viuant in tranquillitate, ordinariis tantùm præsidiis retentis & suffecturis.

Respondet articulo quinto Terranouensis.

HAVROBA BIBLIOTEKA OBVW. U.J. MIELIŃSKIEGO

VI.

Exceptis causis à Terranouensi additis concordat cũ articulo ipsius sexto.

SVBDITI quoque ciues & incolæ omnes, citra cunctationem redeant ad mercaturas, opificia & negotia pacis, quibus se, vxores liberosq; citra iniuriam proximi honestè sustentare valeant, & à publico armorum vsu, antea non cõsueto, & pacis tempori non conuenienti, desistant & abstineant.

VII.

Idem cũ art. VII. Terranouensis.

VNIVERSÆ exactiones, impositiones, ceteraq; inusitata vectigalia & onera præsentiũ turbarũ occasione quomodolibet indicta, penitus cessent & tollantur; ita tamen quòd si quæ certorum onerum continuatio adhuc fore ex vsu publico iudicabitur, simulatque per Ordines Statuum eiuscemodi quid demonstratum fuerit, Rex haud grauatim se Ordinum consiliis iuxtà ac desiderio accommodabit.

VIII.

Terranouensis VI.

PRÆTEREA restaurabitur libertas commerciorum & trãsitus vbiuis locorũ per vrbes, pagos, pontes, portus earundem prouinciarum, non minùs terra quã mari, perq. fluuios & flumina, prout factitatum ante præsentes hosce tumultus: nouis autem vectigalibus & impositionibus, absq. Regis auctoritate eatenus per hos motus de facto institutis, incontinenti cessaturis.

IX.

Descriptus ex artic. IX. Terranouens. vsq. ad vers. Non obstãte, &c.

ET ne qua semina altercationum aut querelarũ relinquãtur, omnes tã ecclesiasticæ personę, quàm seculares, tam intraneæ quàm extraneæ, recuperabunt pacificè bona sua, mobilia extantia, & omnia immobilia, titulos, debita & actiones, iisque statim

statim vti ac frui poterunt, in eo nimirum statu ac qualitate, quibus in præsentiarũ illa ipsa reperiuntur, idq. omni dolo ac fraude semotis, nõ obstante vlla hypothecatione aut quauis alienatione facta in contrariũ; & hoc tum in Burgũdia, Luxemburgo, Hollandia Zelandiaq;, tum etiam in aliis quibuslibet prouinciis ac locis, non minùs ad vtilitatem Ecclesiasticorum, quàm Principis Auraici, & aliorum denique omnium.

X.

Ex Terranouensis articulo X.

SIMILITER quoq. subditorũ quilibet hinc inde redintegrabitur in suis honoribus, dignitatibus, beneficiis, gubernaculis, muneribus, functionibus & officiis, planè ad instar, prout ab exordio horum motuũ extiterit; exceptis tantũ iis, quibus contra libertatem, iuraq. ac priuilegia patrię de vlla functione prouisum fuisse demonstrabitur: prouiso tamen, quòd eiuscemodi spoliati denuò redintegrandi, tenebuntur præstare iusiurandũ, cuius in proximo sequenti articulo fit mentio, prout facturi quoque ceteri ad nouas functiones & officia in posterum cooptandi: reuocando, cassando & annullãdo quicquid hinc inde factum, decretum, pronunciatúmve fuerit in contrarium.

XI.

Idem qui Terranouens. XI. excepta commẽdatitia clausula quæ in fine illius adijcitur.

NVLLI admittentur ad vlla gubernacula prouinciarũ, ciuitatum, castrorum & fortalitiorũ, Capitaneatus, aut præfecturas militum, nec ad concilia rerũ Status, priuatum, financiarum, aliaque officia maioris mõmenti, præter naturales patriæ; qui etiam ante receptionẽ, vltra antiqua & cõsueta iuramẽta, Regi tanquam eorũ Principi naturali

HAVROBA BIBLIOTEKA OBV. M. U. METHIPORA

præstari solita, solléniter iurabút in hos articulos, eosque promittent fideliter sincereq, seruare; sub pœna periurij,& tanquam tales puniendi.

XII.

Conuenit cum XII. Terranouensis.

CAPTIVI vtriusque partis omnes qui ob dictos tumultus adhuc dũ detinẽtur, statim & absq. vllo pretio relaxabũtur, nisi iam anteà de eo aliud fuerit conuentum & concordatum.

XIII.

Mouentur hic difficultates cum Principe Auraico, quarũ nulla à Terranouensi mentio fit, & minus hic articulus quàm illius XIII. continet. Terranouensis XIIII. art.

COMES Buranus suæ libertati & patriæ quanto ocyus fieri poterit, restituetur. In difficultatibus quoque Principem Auraicum concernentibus, conciliandis, post pleniorẽ earum informationem omnis diligentia adhibebitur.

XIIII.

DECRETA, dispositiones & ordinationes, per dominum Archiducẽ Matthiam suosq. collaterales & Ordines Statuũ à tempore vltimarũ turbarum, nomine Regis emanatæ, pro legitimis ac validis habebũtur, suosq. debitos sortiẽtur effectus; quoad beneficia, dignitates, officia, aut alias quaspiam res quæ solent esse potestatis ac dispositionis ordinarię illorum qui tenent locum Gubernatoris dictarum prouinciarum, nõ autem in iis quæ propriæ personæ Regis reseruantur, aut si quæ factæ sint cõtra iura, priuilegia, & immunitates patrias, tam in generali quàm in particulari, vel alioquin in vllius iniuriam seu detrimentum redundârint.

XV.

Eiusdem XV.

PARITER etiam quarumlibet vrbiũ & aliorũ locorũ magistratus seu officiati, suis functionibus destituti, alia via ac ratione, quàm iuris ordine legitimè

legitimè seruato, aut aliâs contra priuilegia dictarũ vrbium, aut præter ordinarios consuetosq; modos cum primis restituentur & redintegrabuntur in dignitates, officiaq. sua; necnon ad eorũ creationẽ futuris tẽporibus procedetur, prout olim & sicut ex iuribus, moribus & priuilegiis cuiusq. patriæ, vrbis & loci decet, ne cui facta toleretur iniuria.

XVI.

Idem cũ Terranouensis XVIII. transpositis tamen duobus aut trib. verbis, & præterverba illa, etiam cũ obseruatione supradictorũ tractatuũ & præsentis.

AVCTORITAS & obedientia Regi à subditis cumprimis restituetur, & seruabitur, qualis meritò iuxta præscriptum diuini & humani iuris, necnõ priuilegia, vsus & cõsuetudines patrias esse debet, qualisq. olim seruata est: vt rectè nimirũ administretur iustitia, subditi regantur in omni ratione, æquitate, quiete & obedientia, idq; ad eam formã modumque, quo factũ est ab omni memoria tam defuncti Imper. Caroli Quinti, eiusq. prędecessorum, quàm etiã Regis tempore, vsq. ad harum turbarum initia, etiã cũ obseruatione supradictorum tractatuum, simul & præsentis; sine cuius auctoritatis instauratione, ac subditorum obedientia, nequaquam possibile est populum in vnione, concordia, rectaque iustitia, quiete, ac tranquillitate manu tenere.

XVII.

Terranouensis XIX.

SVPEREST de gubernaculis generalibus dictarum prouinciarum, quarum occasione Rex eliget Principẽ de sanguine, qui, quæve, rerum experientia pollens, habeat dotes & qualitates, ad eius generis arduũ munus cumprimis neçessarias, & de quo seu qua subditi iustã causam satisfactionis sint habituri: gubernabit autẽ cũ omni iustitia &

HAVROBA BIBLIOTEKA OHV TM. I.J. MEHEDINȚEANA

æquitate, præsertim verò secundũ vsus, iura, consuetudines & priuilegia dictarum prouinciarum; etiam comprehenso hoc præsentis recõciliationis Edicto, quod tenebitur promittere & iurare.

XVIII.

Descriptus est hic articulus ex Terranouẽsis articulo xx. nisi quòd huic vers. Et quod &c. in quarto præcedentio-missus, insertus sit, ibi VT NIMIRUM, *&c. & quòd verba illa,* consilio Regij senatus siue concilij Status, *ex Edict. perpetuo arti.* VI. *addita sint.*

AD cuius quidem Gubernatoris generalis manus, citra vlteriorem hæsitationem, planè ac integrè tradentur omnes & singulæ ciuitates, vrbes, fortalitia & alia loca, quæ ab vna alteráveparte quocunq; titulo aut prætextu modò tenentur, vnà cũ patrimonio ad Regem pertinente, tormentisq. bellicis, munitionibus, commeatibus, armis & nauibus; vt nimirum ea loca, quæ ab omni memoria præsidium habuerunt, consilio Regij senatus, siue concilij Status naturalibus Belgis astringendis iureiurando, quòd vltra antiqua & consueta iuramenta Regi, tanquam eorũ Principi naturali, præstari solita, hos articulos fideliter seruaburt, custodienda committat, aliasque de illis disponat, sicuti seruitio Regis simul & commodis ac securitati prouinciarum magis expedire arbitrabitur, & aliàs prout fieri decet, factumque fuit ante motus præsentes.

XIX.

Terranouensis verba art. XXI.

PERMITTENTE nihilominus Rege (& quidẽ merè in huius reconciliationis gratiam) vt quod hactenus ex eius patrimonio, seu populi subsidiis, collectũ & desumptum fuit, id ita collectum receptumq, maneat, absq; vlteriore persecutione, seu vexatione, cuipiam mortalium eatenus inferenda; ita tamẽ vt in posterum ab eiusmodi detentionibus, occupationibus & collectis desistatur.

PACI-

XX.

Terranouensis XXII. *&* XXIII.

PACIFICATIONE Gandauensi, Vnione generali Statuum secuta, & Edicto perpetuo Bruxellensi, supra ab initio positis, saluis, Ordines Statuũ renunciabũt aliis omnibus fœderibus, pactis, mutuisq. sponsionibus, contractis occasione dictorũ tumultuum, tam intra quam extra prouincias.

XXI.

Eiusdem Terranouensis XXIIII.

COMPREHENDENTVR hoc tractatu Regina Angliæ, & Dux Andegauensis.

DE ceteris concernentibus expeditionem, confirmationem, publicationem, perpetuamque & firmam obseruationem huius Pacificationis postea agendum erit, cùm omnia fuerint concordata & concluſa.

ARTICVLI DE RELIGIONE,

I.

Concordant hi duo articuli cũ articulo XVI. *&* XVII. *Terranouens. praeter duos vers. qui additi sunt. Vnus est in hoc articulo, ibi:* prout etiã Ordines. *vsque* perpetuo *inclusiuè. Alius in* II. *articulo, ibi,* nisi cum cõsilio, *&c.*

QVÆ concernunt Religionem, quæ omnibus Principibus verè Christianis iure debet esse commẽdatissima, haud potest Rex vllatenus præterire, quin vestigiis Regum Catholicorum suorũ maiorum inhærẽdo, percupiat ac mandet in prouinciis suis patrimonialibus retineri seruariq. religionem Catholicam Apostolicam Romanam, ab omni æuo non solùm ibidem receptam, verũ etiam sub qua earundem prouinciarum subditi olim tantopere floruere, & in qua tam dictũ Regẽ, quàm ceteros suos prædecessores olim prouinciis inauguratos & mediãte solléni iureiurãdo in Principes suos naturales receptos fuisse notoriè cõstat.

Quæ

НАЦІОНАЛЬНА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Quæ quidem ſupradicta religio, excluſa quauis alia, liberè, pacificè & abſq; vllo impedimẽto, vbiuis locorũ, per vniuerſas ditiones Belgicas poſthac tradetur & exercebitur, prout etiam Ordines iam antea ſe ipſos in Vnione generali mutuò ac ſolléniter obligarunt, & in Edicto quoq; perpetuo, ac litteris frequentibus Regi, non minùs poſt quàm ante turbas præſentes, ſe paſſuros & procuraturos addixerunt; & ſicut etiam iampridem ſcripſere ad Sac. Maieſt. Imp. vſque adeò quòd abſque graui nota, vt ne dicatur confuſione, vniuerſi ſtatus politici, haud poſſint in re tanti momẽti propriis ſcriptis vlla ex parte contrauenire.

II.

SVBDITI verò, qui in prouinciis Belgicis, in hac tractatione comprehenſis, à Catholica Romana religione receſſerunt, Rex Catholicus ad præſentem Belgij ſtatum reſpiciens, per Regiũ ſuum Mandatarium ſe conceſſurum offert, vt ij in dictis prouinciis manere, ibiq́ue abſque aliqua coërctione & moleſtia, occaſione Placitorum religionis ſibi inferenda, per quatuor annorum ſpatium viuere poſſint & valeant, niſi cum conſilio Ordinum, legitimè ac debitè in loco tuto vbi ſuffragia libera eſſe poſſint & valeant, per Regem ſeu eius Gubernatorem generalem congregãdorum, aliter ſuper huiuſmodi termini limitatione ſtatutũ fuerit: quo termino elapſo, niſi ad dictam Catholicã Romanam religionem redierint, omnino è Belgij prouinciis recedere, & aliò domicilium transferre ac viuere teneantur. Prouiſo tamen, quòd intereà temporis eiuſmodi ſubditi à ſcandalis, & rerũ perturbatione,

turbatione, ac omni vſu & exercitio alterius, quàm Catholicę Romanę religionis, prorſus abſtineant: & interim etiam liberrimè fruentur omnibus ſuis bonis, tam mobilibus quàm immobilibus, iuribus, actionibusq́ue; & poterunt ea ipſa, qualiacũque fuerint, etiã aliò transferre, ſeu vendere, aut alienare, prout eis videbitur. Et quatenus bona ſua retinere malint, poterunt etiam abſentes, ad eorundẽ bonorum regimen, adminiſtrationem & receptionẽ, in prouinciis ſibi eligere Quæſtores Catholicos, qualeſcumq. volent: præterea toties, quoties voluerint, ad prouincias iteratò redire, victuri tamen catholicè, iisq́ue ritibus ac moribus, quos perſonas catholicas decet: eritq. huiuſmodi reditus, & facultas bona adminiſtrãdi, per ſe cuilibet bona fide permiſſus, ſtatim atq. Paſtoribus, officiatis & magiſtratibus locorum, ad quæ redire cupient, talis intentio ac voluntas inſinuata fuerit. Ex qua quidem Regali indulgentia nulli non perquàm manifeſtum redditur, quòd Rex nihil minus, quàm bonorum cõfiſcationes, ruinam ac perniciem ſuorum ſubditorum appetat; nec etiam quòd rigore ſuperiorum Placitorum ipſos perſtringere conſtituerit, cùm paratiſſimus quoque ſit ea ipſa Placita, cum cõſilio Ordinum Statuum, competenter temperare ac moderari, omniaq́ue facere, quæ ad Dei Opt. Max. cultum, prouinciarumq́ue quietem & tranquillitatem pertinent, ac benignum, amantiſſimum Chriſtianumq. Principem decent.

XI. Iulij, poſteaquam Legati Ordinum articulos,

НАЦІОНАЛЬНА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

culos, à Dominis Commissariis oblatos, legissent, & cum articulis Ducis de Terranoua, deinde cum propriis suis, & pactis præcedẽtibus contulissent, magnopere se sua spe frustratos esse vident: quamobrem ea quæ proximo scripto exponuntur, concipiunt, & altero die XII. audiẽtia impetrata, primò ore retulerunt, deinde exemplum istius scripti exhibent.

SCRIPTVM.

Reuerendissimi, Illustrissimi, Generose, Nobilis, Sacræ Cæs. Maiestatis Commissarij.

ILLVSTRISSIMVS Dux Arschotanus, & nos reliqui Ordinũ Legati, perlegimus vtrosq; articulos, quos Celss. & Dign. V. nudiustertius nobis exhibuerũt: Cur ita diuisi & separati sint, cùm à neutra parte diuidantur, rationem suam habere potest. Sed quantum ad cõmendationem eorum attinet, tantũ abest vt Ordines eos pro æquis habituri sint, vel vt æquos, prout putatur, obuiis vlnis recepturi; quin potius econtra metuamus, si vllũ effectum consequantur, eos nõ aliò quàm ad maiores perturbationes & mutationes seruituros.

DE primo, quòd vt æqui non recipientur, inde patet, quòd in omnibus conueniant cum articulis, à Duce de Terranoua exhibitis: sic vt nullũ quasi medium à Celss. & Dign. V. propositum esse dici possit, sed de nouo articuli Ducis repetiti sunt, iidemque vestro assensu & auctoritate videntur approbari & confirmari. At isti articuli iam antè per Ordines reprobati & recusati fuerunt, sicut ex litteris eorum Celss. & Dign. V. cognouerunt.

DE secundo, quòd maiores perturbationes & mutationes excitaturi sint, in primis inde metuitur, quòd contrà quàm Ordines vnquam cogitarũt, contrà quàm Dux de Terranoua ipse quibusdã ex nostris promisit, contrà etiam quàm Celss. & Dign. V. & publicè & priuatim, tum Cæsareo & proprio nomine, aliquoties declararunt, se velle pacificationes priores sequi, nunc tamen in plerisque illæ infirmentur & aboleantur. *Vt constat ex iis quæ suprà XIX. & XX. Maij acta sunt.*

DEINDE cuncta quæ Ordines ad optimã formam Reipub. constituendam, ad cõmunem tranquillitatem & securitatem confirmandã, circa comitia, honores, dignitates & officia; item circa tributa, vectigalia, bona, munitiones, & iuramenta instituerunt & ordinarunt, ea omnia tanquã nulla & iniqua reiiciuntur.

QVI putat ad pacem illa collatura, vt quicunque nunc regunt & præsident, remoueantur, homines alij Ordinibus non grati, vel qui iam antè exosi & graues subditis fuerũt, in ipsorũ locũ sufficiantur & restituantur; deinde cetera illa publica ita tractari velit, tanquam ad Ordines nõ pertineant, atq. solius Regis arbitrio cum suo Concilio relinquãtur: is non videtur satis de statu rerũ in Belgio informatus esse, vel præiudicio quodã anticipatæ & sinistræ opinionis impeditur.

QVAMDIV Principes & Domini nostri naturales vel eorũ Gubernatores, humanitate, beneuolentia & moderatione quadam cum obseruatione mediocris iustitiæ erga subditos vsi sunt, tamdiu nec Ordines, nec priuati exactiorẽ & strictiorem rationem

HAJKOBA BIBLIOTEKA OLVÍN I. MEHLÍKOVÁ

rationem iurium & priuilegiorũ ſuorum, etiamſi in multis læderentur, habere & inire voluerunt.

SED poſteaquam per Gubernatores & Conſiliarios Regis iura & priuilegia ſua prorſus inuerti & auferri, noua iura introduci; item tributa noua, vectigalia noua indici & conſtitui, publica officia vendi, eaque imperitiſſimis & viliſſimis hominibus commendari, iuſtitiam malè & perperam vbique adminiſtrari viderunt: ibi Ordines non ſolùm ad defendendos ſe & ſuos, arma aduerſus illos ſuſcipere, ſed ſimul iura & priuilegia ſua maiori ſtudio vrgere & tueri, iuſtè & legitimè inducti & coacti ſunt.

QVICVNQVE nunc Ordines ad eam rem adiuuarunt, quicunque pro neceſſitate Reipub. ab iis electi & promoti ſunt; item quæcunque pro conſeruatione iuſtitiæ & tranquillitatis Reipub. decreuerunt iuſtæ defenſionis ſuæ tempore, quo iure diuino & humano, adminiſtratio Reipub. apud eos fuit, ea vt nulla, vel iniqua, negligere & reiicere, non poteſt non magnas confuſiones & perturbationes, non ſolùm apud vnam partem, ſed etiam apud vtramq. parere: vel ſaltem ſi hic vnus ex vna parte alteri pręponatur, fieri nõ poteſt, quin in ſe mutuò commoueantur & inſurgant; cui facto per Celſſ & Dign. V. non occaſio & cauſa dari, ſed ea omnibus modis præcaueri & auerti debet.

NON eſt is ſtatus rerum nunc, in quo præciſè vel officium Regis, vel ſubditorum conſiderari poteſt; nempe quid vnus alteri præſtare debeat; ad quod tamen ſi attenderemus, firmiora argumenta pro iis quæ egerunt Ordines, inuenientur, quàm

quàm ſint iſta, quibus alij acta iſta refellere & labefactare conantur, modò quis ad illam communem ſententiam reſpicere velit, qua traditur, Principes propter ſubditos creatos & ordinatos eſſe, nõ ſubditos propter Principes.

SED expedit eam moderationem huic negotio adhiberi, vt nec vnius nec alterius ius nimis ſtrictè requiratur: ſed ambo de iure ſuo aliquid remittant & concedant, donec mutua fides, mutua beneuolentia per legitimam gubernationem & obedientiam inter Sereniſſ. Regem Catholicum, Principem & Dominum noſtrum naturalem, & nos ſubditos eius confirmata & ſtabilita fuerit.

Hæc de politicis articulis.

QVOD attinet ad articulos de religione, in primis mirati ſumus, cur dictum nobis fuerit Celſſ. & Dign. V. vltrà nihil à Duce de Terranoua impetrare poſſe, quàm quod iis articulis continetur; non enim media ab Excell. ipſius, ſed à Cæſa. Maieſt. & à Celſſ. & Dign. V. eius Commiſſariis, mediatoribus & interceſſoribus expectauimus: imò multo magis mirati ſumus, non ea media nobis à Celſſ. & Dign. V. propoſita eſſe, quæ ipſe Dux de Terranoua quibuſdam ex noſtris obtulit & addixit, & quæ ferè omnes Principes Catholici in ſuis ditionibus piiſſimè & prudẽtiſſimè ſeruant, ne cui ſubdito in religione graues ſint, ſi ciuiliter & honeſtè ſecundum politicas leges inter conciues & conruſticos ſuos viuat, modò nõ auctor ſit alterius exercitij, vel in eo loco alio exercitio vti cupiat. Et adhuc cõtrouerſia eſt in Imperio, an qui ſic viuit, expelli poſſit: ſed & magis, non ęgrè etiam ferunt,

HAYRODA BIBLIOTEKA CYFROWA

si illi subditi qui sunt Augustanæ Confessionis, è suis vrbibus & pagis singulis diebus festis exeant, & ad vicinam vrbem & pagum commeent, ibiq. conciones audiant, eaq. quæ suæ sunt religionis, cærimonias & Sacramenta exerceant, vt non habeant quod de exercitio cõquerantur: Ad quod in hoc negotio similiter respiciendum fuit, ne illi, qui sunt alterius religionis, exercitio prorsus destituãtur, cùm sine illo conscientiis suis satisfacere nequeant.

MIRABILIVS autem nobis visum est, adhuc Placitorũ in iis articulis mentionem fieri, quibus ad religionem Regis subditi cogendi sint, quasi nõ satis sanguinis propter religionem hactenus effusum sit, quin debeat adhuc, & in bello & in pace, gladius corporalis in causa religionis, contra omnem pietatem & iustitiam, dominari.

CVM ergo ea quæ diximus, in vtrisque articulis ita se habeant, nec vllo modo alius euentus ex iis quàm qui maiores turbas & mutationes allaturus sit, expectari possit; rogamus Celss. & Dign. V. si quid fortè moderatius adhuc & melius, pro pace & salute nostra, habeant, & proponere statuant, vt id nobis hodie vel saltem in diẽ crastinũ communicare velint. Agnoscimus quem honorem & reuerentiam Celss. & Dig. V. debeamus, vt minus honestum videatur, certum tempus definire: sed necessitas publica, & officij nostri ratio postulat, vt ex litteris Ordinũ iam antè cognouistis, ne diutius hoc negotium extrahi patiamur. Neque etiam nũc animus nobis est, in vllam vlteriorẽ tractationem progredi, sed necesse putauimus istud adhuc quærere

rere & intelligere: sin verò hi articuli vltima sit resolutio, quibus Celss. & Dig. V. volunt & censent Ordines cõtentos esse debere, id tribus verbis nobis significetis; vt quod porrò in mandatis habemus, perficiamus, & ad nostros redeamus. Actum Coloniæ xij. Iulij, Anno M.D.LXXIX.

XVIII. Iulij, Legati Ordinum vocati fuerunt ad Dominos Commissarios loco consueto. ibi Cãcellarius Treuerensis iniecta mẽtione scripti, ab ipsis proximè exhibiti, subiiciebat Celss. & Dign. eorũ illo scripto immeritò reprehensos esse, quasi non eo modo egissent quo debebant; se magnis sumptibus huc adueniisse, magnis etiã sumptibus tamdiu hîc manere: prẽterquam quòd serior accessus legatorum Ordinum fuerit. comparuisse etiam ipsos huc cum Mandato imperfecto, nec solùm de alio ipsis, licet sæpiùs ad id admoniti essent, prouidisse; sed neque responsum sibi ad suas litteras de prorogatione ab Ordinibus dari: ita vt iustam causam habuerint, & adhuc habeant, ab hoc negotio desistendi; verùm pacis & cõcordiæ amore ad ea se conniuisse, quæcunque ad conciliãdam & procurandam illam facere possunt, fideliter persecutos esse: tanto ergo grauius ferre se, si in eam reprehensionem venire debeant, quòd vni parti magis quàm alteri addicti sint. Quare paucis Celss. & Dig. eorũ ad ea respondere velle. Hoc respõsum de scripto dictũ fuit. summa eius hęc erat: rationes reddebant, cur articulos diuisissent: videlicet cũ quidã ex legatis dixissent, maiora sibi à Duce de Terranoua in negotio religionis oblata fuisse,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Celſſ.& Dig.eorum voluiſſe idem hoc negotium illis cum Excell. ipſius tranſigendum relinquere: Quòd prȩcedentes tractatus & Pacificationes cõquerebantur infirmari,& aboleri,monent illos,vt memores ſint eius iuramenti, quod & Archidux Matthias, Princeps Auraicus & Ordines, quoad obſeruationẽ priorũ tractatuũ,præſtitiſſent,quàm multa nunc cõtraria iis agantur: non mirum ergo ſi hæreant;& ſolliciti ſint,quomodo ſe circa illa,& alia,vt firma pax conſtituatur, gerere debeant.

QVIBVS ſic in commune dictis,pergunt grauiter auctorem ſcripti reprehendere,ob ea,quæ ab illo de religione poſita erant: quaſi ſermone illo nihil aliud quæreret, quàm facem diſcordiis Belgij addere,vel eas alibi etiam excitare: non agnoſcere ſe, vllũ Principem Germaniæ ad aliud quid obſtrictum eſſe,quàm quod ex gratia facere velit; non ſe etiam ſanguinis effuſionem quærere,ſed eã auertere conari. Prolixiùs hæc tractata & recitata fuerunt: ſed cùm celeriter & non articulatè à Cãcellario legerentur, non plura à legatis comprehendi & retineri potuerunt.

VLTIMÒ nouos articulos exhibent,deinde cũ Ordines eodẽ modo ſe ſubmiſerint, quo Sereniſſ. Rex, ac Maieſtatis ipſius legatus paratus eſſet hîc manere, donec reſponſum à Cæſare ad ea quæ hactenus acta eſſent, acciperent, monent ne & illi hinc,ante reſponſum illud,diſceſſum parent.

LEGATI Ordinum illis auditis,cùm nonnihil conſultandi cauſa deflexiſſent, viſum fuit iis exẽplar eorũ quæ lecta eſſent,petere;& ſi illud recuſãretur,in genere declarare,animũ ſuum non fuiſſe, illo

illo ſcripto tãtum abeſſe Dominos Commiſſarios, ſed nec quenquam in eo cœtu offendere: Deinde indicarent ſcriptum illud ſuo omniũ conſenſu & approbatione recitatum & exhibitum fuiſſe,non propterea vnum ſolum, qui ſeruitium ſuum concipiendo illi præſtitiſſet, grauari debere. Quæ de Mandato dicta erant,item de tranſgreſſione priorum tractatuum, per priora pro ſolutis habebant.

COEPIT ergo Alboda omnium nomine exemplum eorum petere,ſed illud denegatum illis fuit: deinde pergit dicere, ipſos audiuiſſe, quàm malè proximum ſuum ſcriptum acceptũ eſſet, ad quod tantùm in genere replicatum vellent: Cùm nullis meliùs de animo ſuo conſtare poſſit, quàm ipſiſmet,veriorque interpretatio potius ab iis qui ſcripſiſſent, quàm ab aliis petenda eſſet; declarant ſe pro neceſſitate rerum ſuarũ, quæ ſibi magis quàm vllis in iſto Concilio notæ ſint,ad ea ſcribẽda permotos fuiſſe; nullam verò ne in minima quidem re cogitationem habuiſſe,qua Celſitudines & Dignitates eorum læderent aut offenderent:ſed cùm in articulis,quos exhibuerint,animaduertiſſent,ſe abomni ſpe pacis excludi,ſi quædam ex dolore animi, quæ præuidebant pericula, deinde quæ ex ſperatis denegabantur,liberiùs propoſuiſſent,cogitarent Celſſ. & Dign. eorum afflictis & miſeris multa permitti & indulgeri,quæ in beatis & ſecuris reprehendi & coërceri poſſent. Vltimò bona ſua conſcientia fretos, quòd de nemine lædendo vel offendendo cogitaſſent, nõ magnopere ſe obiectis & reprehenſionibus illis commoueri & perturbari.

HISTORIA BIBLIOTEKA OFVM U.J. MEMBRO 53A

DEINDE inquit Albada, quia personam meam notari per auctorē scripti illius video, primùm dico nihil me scripsisse, nisi cōsensu & approbatione Illustrissimi Ducis Arschotani; & reliquorū legatorū, qui hîc præsentes sunt. Fateor quidem me argumēta illa suggessisse, propterea quòd res Germanicæ magis mihi notæ sint, quàm alijs. sed in eo nihil aliud facio, quàm quod facere obstrictus sum, vt vnà cū aliis inquirā, & proponam eiusmodi argumēta, quę & petitionē nostrā in causa religionis iustificēt, & ad obtinendā eā, Regē inducere & cōmouere queant; nō vt discordias, sicut accusor, excitē. Quapropter nunc iterum dico coram Celss. & Dig. V. ea quæ ibi scripsimus, hodie apud plerosq; Catholicos Romanos Principes obseruari. Quod addidi in Imperio adhuc cōtrouersiam esse, an qui talis sit, expelli possit; dico iterum me sæpius in Camera Imperij super hoc puncto disputationes & altercationes audiuisse; Et ante paucos annos hîc Coloniæ, per legatos quorūdam Principum, in grauioribus etiā terminis negatiuā eius assertam & defensam fuisse. Quare nec hîc quicquam falsi dixi, etiamsi multi Principes sint in contrariū, qui affirmatiuā asserant & sequantur.

NEC etiam Celss. & Dignit. sanguinis auctores facere voluimus: sed vt semel sanctionum istarum quæ Placita vocantur, ex toto abrogatio fiat, hoc petunt illi qui alterius religionis sunt, quorū causam nō minùs hîc nos, quàm aliorum agere oportet: & si abrogatio ista non fiat, existimant impiè & iniustè fieri. His dictis, finem loquendi fecit, nec quicquam ad ea replicatum fuit.

SE-

SEQVVNTVR NOVI ARTICVLI DOMINORVM COMMISSARIORVM.

Mutationes & additiones quæ in margine exponuntur, ad præscriptum vnius ex legatis Ordinum de verbo ad verbū factæ sunt, cui satisfuisse videtur alteram partem sine altera contentam reddere. Quāuis tamē prudentiores quidā non aliò cessuræ existimant, quā vt ambæ tandē partes altera post alteram, opprimantur, atq. in extremam seruitutē per Hispanos redigantur. Proverbii illius, saluis sequētibus repositæ sunt hæc: in omnibus.

I.

PRIMO pacificatio Anno 1579. die 8. Nouēbris Gandaui inita & instituta, Vnio quoque Bruxellis 9. Ianuarij Anno 1577. subsecuta, Edictum insuper perpetuum Bruxellis 17. Februarij anno eodem publicatum, vnà cum approbatione Regia, in omnibus suis punctis & articulis seruabuntur & executioni mandabuntur.

II.

ET quia præter ea quæ à tempore primorū motuum acciderunt, post iam dictos tractatus Pacificationis Gandauensis, Vnionis & Edicti perpetui vltrò citroque varia facta, dicta, & admissa fuere, tam in generali quàm in particulari, hac præsenti quoque Pacificatione non minùs posteriorū istorum factorum & dictorū, quàm eorum quæ antea contigerunt, perpetua obliuio constituatur, ita vt eorum nulla amplius fiat mentio, exprobratio aut inquisitio, quasi ea nunquam accidissent, idq. sub pœna exemplaris correctionis subditis contrauenientibus, tanquam perturbatoribus tranquillitatis publicæ, infligenda.

III.

REX Catholicus vasallis subditisque suis seruabit, manutenebit, & si opus videbitur, etiam de nouo cōfirmabit, omnia & singula iura, vsus, consuetudines, immunitates, exemptiones & priuilegia quarumlibet prouinciarum, ciuitatum, oppidorum, communitatum, aliorumque priuatorum

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

omnium; cum in genere, tum in ſpecie, quẽadmodum in Edicto perpetuo articulo decimo, & cùm prouinciis Belgicis inauguratus extitit, promiſit & iurauit.

IIII.

De nouo hic additum poſt verbum terminũ: cõmuni conſenſu cõſtituendũ.

OMNES milites extranei, vtpote Hiſpani, Itali, Germani, Galli, Burgundi, Angli, Scoti, & ceteri omnes peregrini, qui propter hoſce motus vtrinq. accerſiti ſunt, prouinciis Belgicis, ab hac pace promulgata, intra terminum communi conſenſu conſtituendum, ſimul excedent & eodem tempore.

V.

Duo priores articuli V. & VI. in vnum hic contracti ſunt.

QVOD verò attinet ad alios milites non extraneos, etiam ad pleniorem exonerationem afflictorum ſubditorum, mandabit Rex vniuerſum militem tam terra quàm mari, eodem quoq. tempore exauctorari & dimitti; vt nimirum deinceps ſibi priuatim viuant in tranquillitate; ordinariis tantũ prę ſidiis retentis ac ſuffecturis: vt ſubditi quoque, ciues, & incolæ omnes citra cunctationem redeãt ad mercaturas, opificia & negotia pacis; quibus ſe vxores, liberoſq; citra iniuriam proximi honeſtè ſuſtentare valeant, & à publico armorum vſu, antea non conſueto, & pacis tẽpori non conuenienti, deſiſtant & abſtineant.

VI.

VNIVERSÆ exactiones, impoſitiones, ceteraq. inuſitata vectigalia & onera præſentium turbarum occaſione quomodolibet indicta, penitùs ceſſabunt & tollentur: ita tamen quòd ſi quæ certorũ onerum cõtinuatio adhuc fore ex vſu publico iudicabitur, ſimulatque per Ordines Statuum eiuſcemodi quid demonſtratum fuerit, Rex haud grauatim

grauatim ſe Ordinum conſiliis iuxtà ac deſiderio accommodabit.

VII.

PRÆTEREA reſtaurabitur libertas commerciorum, & tranſitus vbiuis locorum, per vrbes, pagos, pontes, portus earundẽ prouinciarum, nõ minùs terra quàm mari, perque fluuios & flumina, prout factitatũ fuit ante præſentes hoſce tumultus: nouis autem vectigalibus atque impoſitionibus, abſq; Regis auctoritate eatenus per hos motus de facto inſtitutis, incontinenti ceſſaturis.

VIII.

ET ne qua ſemina altercationum aut querelarum relinquantur, omnes Eccleſiaſtici, necnõ omnes ſeculares, tam extranei quàm intranei, recuperabunt pacificè bona ſua ſecularia & eccleſiaſtica reſpectiuè, mobilia extantia, & omnia immobilia, titulos, debita & actiones, iiſque ſtatim vti ac frui poterunt, in eo nimirum ſtatu ac qualitate, quibus in præſentiarum illa ipſa reperientur; idq. omni dolo ac fraude ſemotis, non obſtante vlla hypothecatione aut quauis alienatione à tẽpore Pacificationis Gandauenſis facta in cõtrarium: quæ verò ante pacificationem Gandauenſem acciderũt, eiuſdem diſpoſitioni relinquuntur.

Omiſſa hic ſunt verba illa in priore articulo nono poſita: Et hoc tã in Burgũdia, per incogitantiã vt arbitror, & addita verba illa: à tempore Pacificationis vſq. ad finem.

IX.

SIMILITER quoq; ſubditorum quilibet etiã redintegrabitur in ſuis honoribus, dignitatibus, beneficiis, gubernaculis, muneribus, functionibus & officiis, planè ad inſtar prout tempore Edicti perpetui (illis quæ ante Edictũ contigere, eiuſdem diſpoſitionis relictis) extiterit: exceptis tantũ

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Proverbis illis: prout ab exordio horũ motuum in art. priore x. reposita sunt hæc verba: prout tẽpore vsq. ad verb. relictis inclusiuè.

iis quibus contra libertatem, iuraq. ac priuilegia patriæ de vlla functione prospectum fuisse demõstrabitur: Prouiso tamen quòd eiuscemodi spoliati denuò redintegrandi tenebuntur præstare iusiurandum, cuius in proximo sequẽti articulo fit mẽtio; prout facturi quoq. sunt cæteri ad nouas functiones & officia in posterum cooptandi: reuocando, cassando & annullando quicquid hinc inde factum, decretum, pronunciatúmve fuerit in contrarium.

X.

NVLLI admittentur ad vlla gubernacula prouinciarũ, ciuitatum, castrorũ & fortalitiorum, capitaneatus aut præfecturas militum, nec ad concilia rerum Status, priuatum, financiarũ, aliaq. officia maioris momẽti, præter naturales harũ prouinciarum, sub gubernaculis generalibus comprehẽsarum: qui etiam ante receptionem, vltra antiqua & consueta iuramenta Regi, tanquam eorũ Principi naturali, præstari solita, in hos articulos Regi & Ordinibus sollemniter iurabunt, eosque promittent fideliter, sincereq. seruare, sub pœna periurij & tamquam tales puniendi.

Pro verb. Patriæ, quo vtitur art. prior xi. reponuntur hic ista verba: Harum prouinciarum, &c. fortè vt Burgundi quoque comprehẽdantur. Post verb. articulos hæc duo addita sunt: Regi & Ordinibus.

XI.

CAPTIVI vtriusq. partis omnes, qui ob dictos tumultus adhuc dum detinẽtur, statim & absque vllo pretio relaxabũtur: nisi iam antea de eo aliud inter eos fuerit conuentum & concordatum.

XII.

Mutatio verborum, sed non rei.

COMES Buranus suæ libertati & patriæ intra tres menses, postquam Princeps Auraicus ea quæ cum ipso tractabuntur, impleuerit, restituetur.

XIII.

XIII.

DECRETA, dispositiones, ordinationes per D. Archiducẽ Matthiam, suosq. collaterales & Ordines Statuum, à tempore vltimarum turbarum nomine Regis emanatæ, pro legitimis & validis habebuntur, suosq. debitos sortientur effectus, quoad beneficia, dignitates, officia, aut alias quaspiam res quæ solent esse potestatis aut dispositionis ordinariæ illorum qui tenent locum Gubernatoris dictarum prouinciarum, nõ autem in iis quæ propriæ personæ Regis reseruantur, aut si quæ factæ sint contra iura, priuilegia & immunitates patrias, tam in generali, quàm in particulari, vel alioqui in vllius iniuriam seu detrimentum redundarint.

XIIII.

PARITER etiam quarumlibet vrbium, & aliorum locorũ magistratus seu officiati, suis functionibus destituti, alia via ac ratione, quàm iuris ordine legitimè seruato, aut aliâs cõtra priuilegia dictarum vrbium, aut præter ordinarios cõsuetosq. modos cumprimis restituentur & redintegrabuntur in dignitates officiaque sua, necnon ad eorum creationem futuris temporibus procedetur, prout olim & sicut ex iuribus, moribus & priuilegiis cuiusq. patriæ, vrbis & loci decet, ne cui facta tolleretur iniuria.

XV.

AVCTORITAS & obedientia Regi à subditis cũprimis restituetur & seruabitur, qualis meritò iuxta præscriptum diuini & humani iuris, necnon priuilegia, vsus & cõsuetudines patrias, necnõ Pacificationem Gandauensem, Vnionemq. subsecutam, Edictũ perpetuum, & præsentẽ tractatũ esse debet,

Post verbum, patrias, adiecta sunt hæc verba: necnõ Pacificationẽ Gandauẽsem vsque ad verbum tractatum inclusiuè.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

debet, qualisq. olim seruata est; vt rectè nimirum administretur iustitia, subditi regātur in omni ratione, æquitate, quiete & obedientia, idq. ad eam formā modumq. quo factū est ab omni memoria, tam defuncti Imperatoris Caroli Quinti ciusque prædecessorū, quàm etiam Regis tēpore vsque ad harum turbarum initia, sine cuius auctoritatis instauratione ac subditorū obedientia, nequaquam possibile est populum in vnione, concordia, rectaque iustitia, quiete & tranquillitate manu teneri.

XVI.

SVPEREST de gubernaculis generalibus dictarū prouinciarum, quarum occasione Rex eliget Principem de sanguine, qui, quæve, rerū experientia pollens, habeat dotes & qualitates ad eius generis arduū munus cumprimis necessarias, & de quo, seu qua, subditi iustam causam satisfactionis sint habituri: gubernabit autē cum omni iustitia & æquitate, præsertim verò secundùm vsus, iura, cōsuetudines & priuilegia dictarum prouinciarum, etiam comprehensis pacificationibus supradictis, & hoc præsentis reconciliationis Edicto, quod tenebitur promittere ac iurare.

Tres verb. cōprehensis, additur hæc verba: Pacificationibus supradictis, &c.

XVII.

AD cuius quidem Gubernatoris generalis manus, citra vlteriorē hæsitationem, planè ac integrè tradētur omnes & singulæ ciuitates, vrbes, fortalitia, & alia loca, quæ ab vna alteráve parte quocunque titulo aut prætextu modò tenentur, vnà cum patrimonio ad Regem pertinente, tormentisque bellicis, munitionibus, commeatibus, armis ac nauibus: vt nimirum ea loca, quæ ab omni memoria præsi-

præsidium habuerūt, eōsilio Concilij status naturalibus Belgicis, astringendis iureiurādo quo vltra antiqua & consueta iuramenta Regi, tanquā eorū Principi naturali, præstari solita, de his articulis seruādis, Regi & Ordinibus sese obligabunt, custodiēda committat; aliasq. de illis disponat, sicuti seruitio Regis simul & cōmodis ac securitati prouinciarum magis expedire arbitrabitur: & aliās prout fieri decet, factumque fuit ante motus præsentes.

Sublata sunt ex priori vsq. hæc verba: Regij Senatus. Illi hæc verba post verb. solita, ita mutata sunt: de his articulis seruandis, & addita verba illa: Regi & Ordinibus sese obligabunt.

XVIII.

PERMITTENTE nihilominus Rege (& quidē merè in huius reconciliationis gratiam) vt quod hactenus ex eius patrimonio, seu populi subsidiis, desumptum & collectū fuit, id ita collectum receptumq. maneat, absq; vlteriore persecutione, seu vexatione, cuipiam mortalium eatenus inferenda; ita tamē vt in posterum ab eiusmodi detentionibus, occupationibus & collectis desistatur.

XIX.

PACIFICATIONE Gandauēsi, Vnione generali Statuū subsecuta, & Edicto perpetuo Bruxellensi, suprà ab initio positis, saluis, Ordines Statuū renunciabūt aliis omnibus fœderibus, pactis, mutuisq. sponsionibus, contractis occasione dictorū tumultuum, tam intra quàm extra prouincias.

XX.

COMPREHENDENTVR hoc tractatu Regina Angliæ, & Dux Andegauensis.

DE ceteris concernentibus expeditionem, confirmationem, publicationem, perpetuamque & firmam obseruationem huius Pacificationis, postea agendum erit, cùm omnia fuerint concordata & concluſa.

ARTI-

IACOBI BIBLIOPOLÆ OPERA

ARTICVLI DE RELIGIONE.

QVÆ concernunt Religionem, quæ omnibus Principibus verè Christianis iure debet esse commẽdatissima, haud potest Rex vllatenus præterire, quin vestigiis Regum Catholicorum suorũ maiorum inhærẽdo, percupiat ac mandet in prouinciis suis patrimonialibus retineri seruariq. religionem Catholicam Apostolicam Romanam, ab omni æuo non solùm ibidem receptam, verũ etiam sub qua earundem prouinciarum subditi olim tantopere floruere, & in qua tam dictũ Regẽ, quàm ceteros suos prædecessores olim prouinciis inauguratos mediante solléni iureiurãdo in Principes suos naturales receptos fuisse notoriè cõstat. Quæ quidem suprà dicta religio, excluſa quauis alia, liberè, pacificè & absque vllo impedimẽto per prouincias Belgicas posthac tradetur & exercebitur, prout etiam Ordines iam anteà seipsos in Vnione generali mutuò ac sollemniter obligarunt, & in Edicto perpetuo, ac litteris frequẽtibus, Regi non minùs post, quàm ante turbas præsentes se passuros & procuraturos addixerũt; & sicut etiam iampridem scripsere ad S. Maiest. Imper. vsque adeò, quòd absque graui nota, vt ne dicatur confusione, vniuersi status politici, haud possint in re tanti momenti propriis scriptis vlla ex parte contrauenire.

QVOD verò ad Hollandiam, Zelandiã & oppidũ Bommel attinet, dispositioni Pacificationis Gandauensis relinquitur: ita tamen, quòd interea tẽporis in iis ciuitatibus ac locis dictarum prouinciarum

Hæc totus §. additus est.

ciarum religio Catholica Romana restituetur, in quibus tempore dicti tractatus ibidẽ exercebatur.

SVBDITIS, qui in reliquis prouinciis Belgicis, in hac tractatione comprehensis, à Catholica Romana religione recesserunt, Rex Catholicus ad præsentem Belgij statum respiciens, per Regium suum Commissarium cõceder, vt iis liceat in prouinciis istis sine aliqua coërtione aut molestia, occasione Placitorum religionis eousq. suspendẽdorum, degere & manere, donec consilio Ordinum legitimè ac debitè in loco tuto, vbi suffragia libera esse queant, per Regem, seu eius Gubernatorem generalem congregandorum, aliter dispositũ fuerit super Placitorũ moderatione: prouiso tamen, quòd interea temporis eiusmodi subditi à scãdalis ac rerum perturbatione, ac omni vsu & exercitio alterius, quàm Catholicæ Romanæ religionis prorsus abstineant: & interim etiam liberrimè fruẽtur omnibus suis bonis, tam mobilibus quàm immobilibus, iuribus actionibusque; & poterunt ea ipsa, qualiacumque fuerint, etiam aliò transferre, seu vendere aut alienare, prout eis videbitur: & quatenus bona sua retinere malint, poterunt etiam absentes ad eorundem bonorum regimen, administrationem & receptionem in prouinciis sibi eligere Quæstores Catholicos, quoscumque volent: præterea toties, quoties voluerint, ad prouincias iteratò redire, victuri tamen Catholicè, iisque ritibus ac moribus, quos personas Catholicas decet: eritq. huiusmodi reditus ac facultas, bona administrandi, per se cuilibet bona fide permissus, statim atque Pastoribus, Officiatis & magi-

Immutata quædam sed non in melius.

magistratibus locorũ, ad quæ redire cupient, talis intentio ac volũtas insinuata fuerit. Ex qua quidẽ Regali indulgentia nulli non perquam manifestũ redditur, quòd Rex nihil minus, quàm bonorum confiscationes, ruinã ac perniciem suorum subditorum appetat, nec etiam quòd rigore superiorum Placitorũ ipsos perstringere constituerit, cùm paratissimus quoq. sit ea ipsa Placita cum Concilio Ordinum Statuum competẽter temperare ac moderari, omniaq. facere, quæ ad Dei Opt. Max. cultum, prouinciarumq. quietem ac tranquillitatem pertinent, ac benignum, amantissimum Christianumque Principem decent.

EODEM die audientia à prædicto petita, ex multis & grauibus causis legati Ordinum sequentem petitionem faciunt.

SCRIPTVM.

Reuerendissimi, Illustrissimi, Generose, Nobilis, Sacræ Cæs. Maiestatis Commissarij.

ILLVSTRISSIMVS Dux Arschotanus, & nos reliqui Ordinũ Legati, legimus & considerauimus articulos, qui hodie manè nobis exhibiti sunt: & quia inuenimus eos propiùs ad mẽtem & intentionem Ordinum accedere, volumus in primis Cels. & Dig. V. quammaximas gratias agere pro fauore, opera & labore, quæ Ordinibus & nobis amicè, gratiosissimè, gratiosè & beneuolè in pace concilianda ostendunt & præstant. Sed cùm Cels. & Dign. V. non ignorent, etiamsi nos articulis iis contẽti esse vellemus, virtute tamẽ Mandati nostri

nostri amplecti nos eos non posse, sed esse multos alios, quibus non minus illi, quàm nobis persuasi & probati esse debent.

AD eam rem nihil magis expedire arbitramur quàm vt quamprimum non solùm apud Ordines generales, sed etiam apud Status singularum prouinciarum super iis deliberetur. In eum finem secundum prouincias, quarum nomine huc comparuimus, aliquos ex nostris deputare proposuimus, qui fideliter hoc, quod suprà diximus, exequantur: sed cùm singulæ prouinciæ, & præsertim illę, quarum Mandato hìc agimus, in singulos dies irruptionem Hispanorum expectẽt, fieri id commodè ad voluntatem & desiderium nostrum non potest, nisi tamdiu requies illis & cessatio ab armis concedatur. Quæ res etiam si rectè consideretur, & sincerè inter Seren. Regem Catholicum, Principem & Dominum nostrum naturalem, & Ordines reconciliatio & pax quæratur, de ea Cels. & Dign. V. tum etiam Illustris. Dux de Terranoua non possunt aliter iudicare.

QVAPROPTER vt Cels. & Dign. V. principium núc pacis ineundæ iacere inceperunt, rogamus porrò, vt eodẽ affectu & amore perficere eam studeãt: & dum in hoc cum Ordinibus generalibus & particularibus incũbere ex toto animo proposuimus, quod pium, iustum & æquum esse putamus, hoc agere velint vt saltem ad duos menses cessatio ab armis indicatur. Ad quod etiam personam C. Maiest. quæ auctrix & conciliatrix huius pacis est, tum etiam personas vestras, quæ Ecclesiasticæ sunt, & maximè personas, inter quas hoc,

bellum geritur, attendi cupimus; quibus omnibus nihil minus conuenit, quàm pati arma dominati, vbi seriò de pace agitur.

Hæc sinceris animis Illustrissimus Dux, & reliqui Ordinum Legati, Celss. & Dign. V. proposita voluimus, nec dubitamus; quin Ordinibus ista grata futura sint: imò nisi ita fiat, adhuc dicere necessitas nos cogit, metuere nos in isto armorum horrore, & animorum perturbatione, nihil pacificum & frugiferum vsquam actum & conclusum iri. Dictum & exhibitum Coloniæ 18. Iulij, anno 79.

Ad hanc petitionem, quæ prius ore dicta fuit, deinde in scriptis exhibita, Domini Commissarij ipsimet deputatis illis respondent, se & approbare eam, & omni modo adnisuros, vt Dux de Terranoua illi assensum suum præbeat.

Legati Ordinum hoc responso accepto, prædictos articulos vnà cum scripto illo ad Ordines per Nobilem quendam, singulariter ad hoc electum, vt illo instante & vrgente, resolutione eorum super articulis istis obtinerent, transmittunt.

XXIX. Iulij, Domini Cõmissarij ad legatos Ordinum binas Imperatoris litteras mittunt, vnas ad Ordines, alteras ad ipsos scriptas. His ab iisdem electis, cũ alteræ istæ ad Ordines transmittendæ essent, occasione inde arrepta, vt per eundẽ nũcium certi aliquid illis de indutiis concessis vel denegatis significare possent, petunt à prandio audientiã, qua cõcessa, illi qui deputati erant, Dominis Commissariis in memoriã reuocant, quid xviij. ratione indu-

indutiarum petiissent; quæ spes etiam tum ipsis ad obtinendas eas data fuisset, quã incontinenti Ordinibus indicauerint: nihilominus tamẽ quicquid instent, nullũ hactenus aliud responsum se accepisse, quàm quòd Terranouensis de ea re ad Parmensem scripserit: se ostendisse iam antea, quantũ momenti in indutiis positum esse putent; nec dubitare se, quin Ordines auidissimè responsum super iis expectaturi sint: rogare ergo ne diutius à Duce de Terranoua responsum illud extrahatur.

Ad quod Domini Commissarij legatis Ordinum respondent, ipsos petitionem eorum Terranouensi aperuisse, communicasse quoque ei scriptum illud, quo illa contineatur; insuper grauiter institisse apud eum, vt locum ei daret: sed declarasse illum, hoc negotium non ad se, sed ad principem Parmensem pertinere, in cuius manu armorum potestas consistat; se tantùm ad pacis tractationem Mandatum accepisse, nihilominus velle se super ea re ad Parmensem scribere. Quid autem responsi ab illo Dux de Terranoua tulerit, aiebant nondum sibi indicatum esse. Addebant porrò se quoque litteras ab Imperatore recepisse, in quibus procuratio indutiarum seriò ipsis cõmendetur; optare enim Maiestatem eius vehementer, vt de iis conueniatur: cuius rei gratia iam se concilium conuocasse, ac propterea opportunè earum commemorationem à legatis factam esse, velle se incontinenti aliquos ex suis ad Ducem de Terranoua mittere, qui illum & de voluntate Sac. Cæs. Maiest. & ipsorum legatorum postulatione instruant, & quantum ad personas suas attineret,

nihil se omissuros quod ad conciliandas & impetrandas indutias facere posset: Responsi, quod ab eo datum fuerit, se quamprimum legatos certiores facturos esse.

LITTERÆ IMPERATORIS AD LEGATOS ORDINVM.

Rudolphius secundus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus.

ILLVST. Venerabiles, Magnifici, Generosi, Nobiles, Honorabiles, Deuoti, & fideles dilecti. Etsi non ita pridem vos per litteras hortati sumus, vt nihil, quod ad salutarē pacem stabiliendam pertineret, in vobis desiderari pateremini: tamen cùm hactenus nequaquā eum cœptæ tractationis effectum secutum esse intelligamus, quem nobis pollicebamur, vestraque ac Reipub. salus maximè flagitet, quinimò Status Belgicos, à quibus missi estis, eandem tractationem ad certum ac tale tempus astrinxisse, quod nedum tam salutari operi rectè peragendo sufficiat, sed & ante plures iam dies expirarit: Nos pro paterna ea, quam hoc loci gerimus, cura pio que studio, haud omittendum duximus, quin vos denuo hortaremur, vt tam quo ad temporis illius prorogationem (de qua etiam ante plures dies cum ipsis Statibus per litteras egimus) vestra auctoritate promouendam, quàm aliàs tales vos exhibere velitis, vt nihil quod ad pacis negotium feliciter conficiendum, sicque patriam vestram pristinæ suæ quieti & nitori restituendam, opportunum esse queat, in vobis requiri; sicque ea, quæ pro vestro potissimùm patriæque vestræ commodo & salute instituta est, transactio, haud frustra suscepta esse videri possit. Id verò ita fiet, si honestis ac æquis condicionibus, quæ à Commissariis nostris vel iam propositæ sunt, vel proponentur, vestra ex parte haud desitis. Quod cùm à vobis omnino expectamus, tum verò non diffidimus Illust. Ducem Terranouæ, cui in eandem ferè sententiam scribimus, nihil, quod huc pertineat, in se desiderari passurum esse. De cætero beneuolentiam ac gratiam nostram Cæsaream vobis benignè deferimus. Datum in arce nostra Regia Pragæ, die xiij. Iulij, anno Domini milleſimo, quingentesimo, septuagesimo nono. Regnorū nostrorum, Romani quarto, Hungarici septimo, & Bohemici etiam quarto. Signatum *Rudolphus.* subscriptum in dextero latere: *Ad Mandatum Sac. Cæs. Maiest. proprium.* In sinistro *V. Sylchenser. D.* Inferius *Phernberger.*

II. AVGVSTI venerūt ad legatos Ordinum, quidam Dominorum Commissariorum Consiliarij, qui illis indicabant, Celss. & Dig. eorū omnem operam adhibuisse, quò Ducē de Terranoua ad concedendas indutias inducerent, sed quòd ad eas attendere noluissent, permotus sequentibus rationibus. Prima, quòd Mandatum eorum in principali negotio haberet pro insufficiente. Secunda, quòd putaret articulos ab ipsis Commissariis exhibitos tam esse æquitati & rationi consentaneos, vt spem haberet citiùs super iis pacem, quàm indutias fieri posse. Tertia, quòd non minorem difficultatem, nec breuius spatium, in conuocandis & consulendis prouinciis super condicionibus qui-

bus indutiæ indici debeant, quàm super pace ipsa constituerit. Aiebant ergo: Domini Commissarij, licet indutias vnà cum legatis necessarias esse duxerint, tamen propter denegationem alterius partis non potuisse Celsitudines & Dignitates eorum consilium & voluntatem suam ad effectum perducere.

AD quod legati Ordinum actis more solito gratiis, primò quod de Mandato obiectum erat, in eum modum, quo antè aliquoties fecerant, dissoluunt; alterum de articulis pendere id nunc ex arbitrio Ordinum dicebant, quibus probandi vel improbandi transmissi erant; sed quod & ibi & tertiò Terranouensis putaret, citiùs super pace, quàm super indutiis agi & conueniri posse, id ex eo confutari, quòd quo ad indutias absolutum Mandatum haberent, sed non ita in pace constituenda: in reliquis referebant se ad ea quæ scripto suo continentur.

VIII. Augusti, reuerso illo Nobili, quem suprà dixi ad Ordines à legatis eorum missum fuisse, perlectisque litteris quas ille ipsis attulerat, quarum exempla quoque hîc subiiciuntur, cùm in iis mandaretur illis, vt insisterent petitioni, pro obtinendis indutiis factæ, concipiunt sequens scriptum, & postridie audientia petita, tenorem eius prius ore exponunt, deinde scriptum ipsum Dominis Commissariis exhibent.

LITTE-

LITTERÆ ARCHIDVCIS.

Ex lingua Gallica in Latinam translatæ.

Cognato meo Duci Arschotano, Principi Chimaici, Comiti Bellomontij, Marchioni Rentiaci, &c. Equiti Ordinis aurei velleris, ac aliis dominis Legatis Belgy, Coloniam missis.

COGNATE ac domini. Dominus à Melroy attulit nobis vestras litteras, cum exemplis iis adiunctis: nobisque vberrimè retulit, quàm sedulò hactenus institeritis, vt hanc pacis cœptam tractationem ad bonum & felicem exitum perduceretis, ex voto omnium, qui quieti publicæ dediti sunt: quo de nos atque Ordines vobis multum obligati manemus: nihil ambigentes, quin eadē sedulitate, & promptitudine animi in eodem perseuerabitis vsque ad finem eiusdem tractationis: vnde conseruatio harum ditionum pendet, vti pro vestra prudentia facilè poteritis animaduertere, & viuis rationibus exponere, vbi expedire videbitur. Postremi articuli, allati per dominum de Melroy, missi sunt ad omnes prouincias, ad rescisendum eorum sententiam: siquidem hæc res quamproximè concernit vnum quemlibet in genere, & in specie, vti latiùs intelligetis ex litteris dominorum ab Ordinibus deputatorum, ad quas nos referimus. Interim metuimus, nisi Domini Cōmissarij Imperatoriæ Maiestatis amplius largiantur, tum super facto Religionis, tum politiæ, vix est verisimile, vt prouinciæ possint induci ad eos articulos acceptandū: vti prolixiùs poteritis intelligere ex verbali relatione dicti domini de Melroy, qui magna ex parte animos & inclinationes

hominum in hac ciuitate perſpexit. Itaque Principum Electorum eſt bene ponderare & expendere, quantum mali diſſolutio huius tractationis, tum vniuerſo orbi Chriſtiano, tum familiæ noſtræ Auſtriacæ, totique adeò Germaniæ allatura ſit. Interea mi cognate ac domini, Deum precamur, vt vos protegat ac tueatur. Antvverpiæ Cal. Auguſti, M. D. LXXIX.

Veſter cognatus & amicus,

Matthias.

I. van Aſſeliers.

LITTERÆ ORDINVM.

Ex lingua Gallica in Latinam verſa.

Domino Duci Arſchotano, Principi Chimaici, Porciani, Comiti Bellomontij, & c. Equiti Ordinis velleris aurei; Reuerendis in Chriſto patribus Abbatibus, S. Gertrudis & Marolienſi, ac aliis Dominis Legatis Ordinum generalium, Coloniæ.

DOMINI. Præter epiſtolam, xiiij. die Iulij ſcriptam, Dominus à Melroy, iuxta mãdatum quod à vobis habebat, tradidit nobis etiã veſtras litteras, xx. ſuperioris menſis ſcriptas, quibus iuncti erant articuli propoſiti per dominos Principes Cæſareos Cõmiſſarios, ad ineundam pacem & reconciliationem cum Rege Hiſpaniarũ, Principe noſtro & Domino naturali, ac reſpõſum per vos factum. Ex quo cum videamus & percipiamus veſtram induſtriam, atq. bona officia, nõ poſſumus non vobis ex animo gratias agere, ac certò promittere, nos perpetuò in memoria habituros

hanc veſtram diligentiam, vbi occaſio ſeſe offeret. Itaque à vobis petimus contẽdimusque, vt in iſta diligentia velitis porrò pergere, iuxta mandatum quod à nobis habetis, ac potiſſimum inhærere petitioni de indutiis, ea lege, vt illis durantibus vtraque pars contineat ſe in ciuitatibus & munitionibus quas occupauit ac detinet, vna & altera reſpectuè, & vtrique parti liceat liberè meare & commeare, cuiuſque ad ſua, ſine vlteriore communicatione. Cæterùm in-præſentiarum nõ eſt nobis integrum adhuc reſpondere ad dictos articulos, per dominos Cæſareos Commiſſarios propoſitos; ſiquidem ex eorum tenore non videmur poſſe conſequi bonam & ſecuram pacem; quos tamen iam miſimus Statibus particularibus vniuſcuiuſque prouinciæ, vt ſuper iis deliberẽt, noſque certiores faciant ſuarum concluſionum; quas vbi acceperimus, ne dubitate quin è veſtigio daturi ſimus operam, vt vobis mittantur: quò ſecundũ noſtram bonamac ſinceram intẽtionem hæ ditiones ex his miſerii & calamitatibus belli ſemel eximantur, eáſque iurſum cernamus in ſuo antiquo ſtatu ac ſplendore. Deum rogamus vt vos, Domini, ex voto ſoſpitre dignetur, & ſua gratia cumulare: Veſtris D D. nos ex animo commendantes. Antwerpiæ III. Auguſti, M. D. LXXIX.

V. Patern. & D D. ex animo addictiſſimi Ordines generales Belgij.

Mandato dictorum Ordinum,

I. Houfflin.

SCRIPTVM.

Reuerendiſsimi, Illuſtriſsimi, Generoſe, Nobilis S. Cæſ. Maieſt. Commiſſarij.

ILLVSTRISSIMVS Dux Arſchotanus, & nos reliqui Ordinum Legati, nudiuſtertius literas ab Ordinibus accepimus, quibus primùm nobis ſignificant, ſe articulos, quos Celſſ. & Dign. V. nobis exhibuerunt, ad ſingulas prouincias tranſmiſiſſe, vt ſuper iis iudicium & voluntatem earum cognoſcant.

SECVNDÒ, poſteaquam petitionem noſtram, quam eodem die quo articuli exhibiti ſunt, de indutiis fecimus, æquam & neceſſariam prorſus inueniant, requirunt à nobis, vt vrgere eas non deſiſtamus; nondũ enim litteræ noſtræ, quibus indicamus illas denegatas eſſe, ad eos tum peruenerãt.

NIHILOMINVS Illuſtriſſimus Dux, & nos excitati iſtis litteris, ſemel adhuc toties propoſitam de inducijs petitionem renouare voluimus, idque ex hac ratione maximè, quòd Ordines nobis ſignificent, permouendis & conciliandis ſubditorum animis, qua re principium ad pacificationem ponitur, nihil adeo ſeruiturum, quàm ſi illæ in præſenti ad tempus aliquod indicantur: ita etiam non ignorant Celſſ. & Dign. V. indutias per ſe in manſuetudinis officijs ineludi, easque ſæpè non paruas tantùm iras, ſed & magnas atque difficiles reſtinxiſſe, & beneuolentiam facilè concliare.

QVINIMO conſiderata perſona Sereniſſ. Regis erga ſubditos ſuos, quorũ obedientiam & amorem Maiores eius & Maieſt. illius ipſame inauguratio-

gurationis tempore & pòſt, quàm maximum cognouit, & experta eſt, qui nunc multis annis communiter ab exercitu Hiſpano vexati, direpti & oppreſſi ſunt: his aliquot hebdomadarum indutias in eum finem petitas, vt ſecurè & quietè ſuper pacis condicionibus conuenire & deliberare poſſint, denegare, non putant poſſibile eſſe, modò ex parte Regis ſincerè reconciliatio & pax, & non potiùs media ad prorſus perdendos & ſubiugandos ipſos quærantur.

QVID multis? nec nos tacere poſſumus, iam ab initio nobis duram viſam fuiſſe indutiarum recuſationem, & durior adhuc ea viſa eſt, quæ poſtremò facta eſt: nec dubitamus quin etiam Sac. Cæſ. Maieſt. diſplicebit, multoq; adhuc magis Celſſ. V. propter perſonas quas ſuſtinent, diſplicere: cui hoc ſolum nunc addere volumus ex Mandato Ordinum, niſi illæ concedantur, quæ alioquin pacem præcedere, & ad eam viam præparare ſolent, metuere ipſos omnem cogitationem ſubditos de pace abiecturos; quod & antè indicauimus: cùm è contra indutiis cõceſſis, ſpem nouæ beneuolentiæ concipient, animisque à bellicis curis & timoribus nonnihil liberatis, ſimul inter ſe ea ſolùm quæ ad pacem facere poterunt, ſine dubio deliberaturi & ſciſcituri ſint.

CONDICIONES indutiarum, quas iam antè quoque expoſuimus, in iiſdem litteris repetuntur; nimirum, quandiu illæ durant, vna & altera pars ſe contineat in locis, ciuitatibus & munitionibus, quas occupauit & detinet, & vt vtrique ad ea liberè meare & remeare, in iis agere & cõuerſari

fari liceat, communicatione vnius partis cum altera penitus interdicta, &c.

GRATIOSISSIMI Domini. Hæc est Ordinum seria adhuc de indutiis petitio, ex rationibus quas suprà diximus. eas rationes vt pro vestra prudentia perpendatis, & vnà cum Duce de Terranoua communicetis, eiusque Excell. ad locum petitioni illi dandum indicatis, Illustrissimus Dux Arschotanus & nos Ordinum Legati ôbnixissimè petimus.

VLTIMÒ, Celss. & Dign. V. latêre non volumus, etsi generales Ordines non expresè terminum nobis prorogauerint: tamen sicut antea, ita & nunc iusserunt nobis hîc subsistere, donec responsum super articulis Pacificationis ab ipsis accipiamus.

XXI. Augusti, cùm Legati Ordinum nullum responsum ad scriptum illud acciperent; deinde intelligerent Dominos Commissarios, se nõ consultis aut rogatis, non solùm ad Ordines generales, sed etiam ad singulas prouincias, & præcipuas earundem ciuitates scripsisse; præter hoc, Ducem de Terranoua quoque, qui pars erat, suas litteras ipsorum litteris coniunxisse, mittunt aliquos ad eosdem Commissarios, qui communi nomine responsum Terranouensis vrgerent; deinde communicationem litterarum quas misissent postularent. quo facto, Celss. eorum deputatis istis declarãt, sibi non minus moram Ducis de Terranoua, quàm legatis ipsis displicere; se aliquoties iam pro responso ad illum misisse, & à prandio iterum mittere velle. Quod ad litteras attineret, effe-

effecturos se, vt exempla earum habeant: illa legati tertio die pòst acceperunt, & est earum litterarum tenor, prout sequitur.

LITTERÆ DOMINORVM COMMISSARIORVM, AD ORDINES GENERALES.

Sacræ Cæs. Maiestatis ad negotium Pacificationis Belgicæ deputati Commissarij.

Illustres, Reuerendi, Generosi, Nobiles, Prudentes & Circumspecti.

QVEMADMODVM vbique gentium percrebuit, quibus quantisque calamitatibus, & afflictionibus patria vestra aliquot annis iactata, concussa & vastata fuerit: ita nemini obscurum esse potest, quàm verè paterno affectu & studio Sacra Cæs. Maiest. huius adeò calamitosi & diuturni in vestris visceribus ardentis belli faces extinguere hactenus tentauerit. Cumq; sua Maiest. inter cætera remedia, quibus patriam vestram ab hoc flagranti incendio liberatam, pristino splendori, legibus atque institutis patriis restituere conata est, nobis grauissimum onus & curam eius rei perficiendæ impoſuerit; omninò duximus nostri esse officij, quantum in nobis esset, tantis malis maturè occurrere. Ac proinde ante quatuor integros menses, sepositis nostris nostrorumque subditorum negotiis, nos huc contulimus, eoque affectu, quo & Regi Catholico, & vobis,

bis,& toti Imperio ac Reipub. Christianæ ex animo bene volumus, nec laboribus nec molestiis, nec sumptibus pepercimus, nihilque prætermisimus quod ad pacem cõciliandam necessarium vel vtile esse arbitrati sumus. Quanquã autem legatos vestros non tantùm in initio huius actionis aliquamdiu expectauimus; sed & deinde illos cum minus sufficienti, & ad sex hebdomadas restricto Mandato comparentes sæpissimè adhortati sumus, vt plenius Mandatum & temporis prorogationem procurarent, eoque nomine etiam ad vos scripsimus, & certò nobis persuasimus, in vobis moram nullam futuram: tamen præter spem & expectationem nostram, nec ad litteras nostras à vobis responsum accepimus, nec Legatis vestris sufficientius Mandatum transmissum, nec temporis prorogatio facta, nec interim ab innouationibus & mutationibus pacis conciliationẽ difficiliorem reddẽtibus in Belgio cessatum est. Quæres causam non iniustam nobis tribuere potuisset, spem omnem pacis constituendæ protinus deponendi, & ad euitandos inutiles sumptus & molestias, hinc discedendi, nisi & Cæs. Maiest. mandatum, & pietas Christiana erga subditos Belgij, qui diuturnis intestinis bellis miserè atteruntur, nos hîc detinuisset, & ad tractationem hanc continuandã commouisset: in qua eò tãdem progressum est, vt in politicis negotiis huiusmodi media proposuerimus, & à Regis Mandatario Duce de Terranoua obtinuerimus, quæ nemo non iustissima, & ad tollendas omnes hactenus allegatas sumptorum armorum causas, commodissima censere

Quidnã dicitur, multis in locis à legatis Ordinum solitum inuentum.

Non ex parte Ordinũ solum, sed ex parte alterâ longè magis.

Iudicium & Deo & illis committimus, qui hæc acta lecturi sunt.

fere potest; nisi quis adeò diuini & humani iuris & promissionis, per Ordines & subditos tam sanctæ totiesque iteratæ, immemor esse velit, vt obedientiam & auctoritatem, ad retinendam Reipub. tranquillitatem, modis omnibus necessariam, Regi prorsus denegandam & auferendam esse arbitretur. In negotio quoque Religionis, ipsemet Regius Mandatarius, nomine Regis vltrò nõ minùs, sed potius plus quàm in Pacificatione Gandauensi, Vnione secuta, & Edicto Bruxellensi conuentum, frequentioribusque, tam ad Sacr. Cæs. Maiest. quàm ad Regem Catholicũ, & alios Principes litteris promissum, totiesque iuratum fuit, subditis concessit. Quod cùm ita sit, & per horum mediorum acceptationem omnes politicæ controuersiæ propter quas grauissimum hoc bellum inchoatum esse allegatum fuit, planè tessatuæ sint: insuper etiam in negotio religionis Regi vi & armis plus extorquere velle, quàm prioribus iuratis pacificationibus promissionibusque consentaneum est, ac Regius Mandatarius vltrò permisit, nec æquum nec necessarium sit, & ipsa patriæ vestræ calamitas omninò postulet, vt difficillimo eius tẽpori, & ingruentibus maioribus periculis, quàm ocyssimè, & sine vlla mora succurratur: Miramur non immeritò, quã ob rem ad huiusmodi media, ante tres hebdomadas vestris legatis porrecta, & per eosdem tunc temporis vobis procul dubio transmissa, hactenus nihil responsi acceperimus: cumq; nostra & subditorum nostrorũ negotia, solius huius tractationis causa, per tot menses sepositа & suspensa, planè non admittant,

Ex qua parte infra dictu illarum primum facta est, superius declaratum extat, & plenior hic est Pacificatio Gandauensis quàm præsens concessio. Sed tuetur in vestro Ordinum.

vt

vt hîc diutius fruſtrà nos detineri patiamur; facere non potuimus, quin denuò media propoſita vobis tranſmitteremus, & nomine Sac. Cæſ. Maieſt. veſtrum reſponſum exigeremus. Diligenter igitur & ſedulò vos adhortamur, vt quàprimùm ad media, his litteris noſtris adiúcta, tale reſpõſum nobis tranſmittatis, vt & Cæſ. Maieſt. & omnes Imperij Status, & nos ex eo certò deprehẽdere & intelligere poſſimus, vos malle, ſopitis odiis, armisque ſublatis, in pace tutò viuere, quàm funeſti & calamitoſi belli incommoditatibus & periculis diutius agitari. Ad quam pacem maturè & ſolidè conficiendam & corroborandam, neceſſarium erit vt legatis veſtris, vnà cum dicto reſponſo, ſufficiens quoque Mandatum mittatis. Quod ſi feceritis, vti facturos confidimus, vobiſq; & patriæ veſtræ officium optimum, & planè neceſſarium præſtabitis. Deus Opt. Max. vos diu ſeruet incolumes, & ad pacem oblatam obuiis vlnis amplectendam flectat & inclinet. Datum Coloniæ v. Auguſti, Anno M. D. LXXIX.

LITTERÆ COMMISSARIORVM AD PROVINCIAS PARTICVLARES.

Sacræ Cæſ. Maieſt. ad negotium Pacificationis Belgicæ deputati Commiſſarij.

REVERENDI, Generoſi, Nobiles, Spectabiles & Prudentes: Quid hactenus ex Sac. Cæſ. Maieſt. mandato, ad patriam veſtram, ex diuturni & calamitoſi belli incendio eripiendam & liberandam, cum Regis Catholici, Principis veſtri

veſtri naturalis, Mandatario, Duce de Terranoua, & Legatis Ordinum Belgij egerimus, & quæ pacis media propoſita ſint, per eorundem Ordinum Legatos, vel deputatos Antwerpiæ congregatos, vobis ſignificatum eſſe non dubitamus. Et licet ſuperfluum fortè videri poſſet, eo nomine ad vos, aliarumque prouinciarum Belgicarum particulares Status litteras dare: cùm tamen à Sac. Cæſ. Maieſt. nobis mandatum, noſtríque officij ſit, vt quacumque ratione hoc pacificationis negotium promoueamus, & ab Ordinum deputatis Antwerpiæ congregatis, nec ad priores noſtras litteras, nec ad media pacis, ante aliquot hebdomadas propoſita, reſponſum hactenus acceperimus, & noſtræ ac ſubditorum noſtrorum cauſæ hactenus ſepoſitæ, & ſuſpenſæ, ac tantum non neglectæ, non admittant, vt nos hîc diutius fruſtrà detineri patiamur; facere non potuimus, quin & vobis, & aliarum prouinciarum Belgicarum particularibus Statibus, poſteriorum litterarum noſtrarum ad Ordines ſcriptarum & mediorum propoſitorum copias tranſmitteremus: certò enim nobis perſuademus, veſtram promotionem apud Ordinum deputatos, Antwerpiæ exiſtentes, tantum pondus & momentum habituram, vt eo maturiùs & celeriùs ab iiſdem reſponſum accepturi ſimus. Diligenter igitur & ſedulò vos adhortamur, vt ea cura & diligentia, quam res tanti momenti, & totius patriæ veſtræ ſalus exigit, negotium hoc perpendatis; ſimulque cogitetis, bellum hoc ſiue trahatur, ſiue impetu breuiore finiatur, in eam tandem neceſſitatem prouincias facilè adducere

Hoc dependet ex Dei consilio & voluntate, qui multo aliter hoc tempore agit quàm homines existimant.

posse, vt ad difficiliorem multo, quàm nunc offertur, pacem compellantur, atque tanto magis apud Deputatos Ordinum Antwerpiæ congregatos, ea qua oportet dexteritate negotiũ hoc vestrum promoueatis & sollicitetis, vt quamprimùm ad media his adiuncta, paci & tranquillitati ac quieti patriæ vestræ conueniens responsum, & Legatis suis & vestris hîc existentibus, sufficiens Mandatum transmittatur, vt ita Dei Omnipotentis ope pax vobis & patriæ vestræ restitui, & funesti ac calamitosi belli fax extingui possit: neque ab eo proposito alicuius diffidentiæ opinione, si quæ fortè ab aliquibus, felicitati vestræ minùs fauentibus, vobis suggeratur, vos abduci patiamini: cùm Regis Catholici animum ad pacem non solùm faciendam, sed & seruandam & continuandam, ita omninò affectum sciamus, vt non dubitemus, Imperatoria maximè intercedente auctoritate, quin ea sic muniri possit, ne quicquam periculi in posterum vnquam vobis vniuersis & singulis sit metuendum vel expectandum. Deus Opt. Max. vos seruet incolumes, vobisque pacem iamdiu exoptatam concedat. Datum Coloniæ die v. Augusti. M. D. LXXIX.

NOTA. *In litteris ad Hollandos & Zelandos scriptis, inserta est hæc clausula post verb.* trãsmittatur:

QVOD eo promptiùs & libentiùs vos facturos confidimus, cùm per hos pacis articulos Gandauensis Pacificatio vobis rata & firma maneat, & sic idem, quod hactenus petiistis, vltrò vobis offeratur.

Et

Et in litteris ad Flandros, Geldrenses & Zutphanienses scriptis, ista clausula post idem verbũ, transmittatur, *inserta est*:

QVOD eo promptiùs & lubentiùs vos facturos confidimus, quòd in vestris visceribus ardentis belli faces, prouinciæ vestræ vastitatem & interitum comminantes, ante oculos vestros versari & quotidie augeri intelligimus.

XXV. Augusti, Domini Commissarij quosdam ex suis Consiliariis ad Legatos Ordinum mittunt, qui tradant illis responsum, quod præcedenti die à Duce de Terranoua accepetant: traditione facta, adduntilli Celss. & Dign. eorum nihil amplius ab Excell. ipsius impetrare potuisse; arbitrari se porrò superuacaneum fore, si Legati Ordinum petitioni illi pro indutiis diutiùs inhæreant: sed citiùs & faciliùs super pace tractari posse.

RESPONSVM DVCIS DE TERRANOVA.

Reuerendissimi, Illustrissimi D. Electores Principes, Generosi, Nobiles, Domini Cæs. Maiest. Delegati longe dignissimi.

AD EA quæ circa indutias armorumque suspensionem ab amplissimo vestro consessu iam aliquoties, ad requisitionem Ordinum Belgij Legatorum, proposita fuere, Dux de Terranoua Regius mãdatarius nihil tã ex animo desidetrans;

rans, quàm ea omnia quæ ad veram solidamque pacem in eundem quoquo modo spectare dignoscuntur, re ipsa promouere, breuiter respondenda duxit ea quæ sequuntur.

PRINCIPIO, quòd sicut armorum suspensio primus gradus esse prætenditur, ad pacis serenitatem consequendam: ita declarat, quòd etiam ab ipsomet exordio præsentis negotiationis in eam semper fuerit propensissimus: vt nec dubium, quòd sponte illam concessurus fuerat, si modò rerum publicarum status ac dispositio tunc temporis præ se tulissent: quod de pace tandem subsecutura, si non planè certam, saltem verisimilem spem tunc iustè concipere potuisset: nec dubitare quisquam debet, quin in præsentiarum adhuc eadem illis mens sit ac voluntas, casu quo spes aliqua vberior, quàm hactenus etiam nunc affulgere inciperet.

CETERVM cùm status Belgij neque in hunc vsque diem, suis huc destinatis, de sufficienti Mãdato, etiam ad frequentiora Dominorum Commissariorum monita, prosperexerint, ita vt propter hanc & alias causas, nec hoc quidem tempore vlla spes adhucdum sese ostendat, imò ne quidem post transmissos articulos pacis, iamdiu per Belgium satis superque latè diuulgatos; non potest non sibi persuasum habere, eius rei præcipuum impedimentum prouenire à militibus præsidiariis, libertatem suffragiorum ciuium & incolarum haud dubiè prohibentibus.

QVOCIRCA ad pacis negotium opportunè iam præparandum nihil tam necessarium videtur, quàm

quàm ciuitates, obtrusis vel sinistris persuasionibus inuectis, præsidiis citra moram exonerare, ipsosque ciues & incolas suæ libertati permittere: vt nimirum sepositio omni metu horroreque belli, possint de salute propria, atque adeò etiam tranquillitate publica verum animi sui sensum apertè dicere & explicare.

PORRÒ vt ne qua excusatio retorqueatur, quasi videlicet dictæ ciuitates milite præsidiario egeant, ad tutelam sui contra exercitum Regium, paratus erit Regius Mandatarius eo casu in postulatam armorum suspensionem, sub condicionibus ac securitatibus communi partium consensu statuendis, consentire; dummodo tamen interea temporis abstineant à noua collectione militum, simul & coactione subditorum ad nouas vniones, huic præsenti reconciliationi ac tranquillitati publicæ contrarias, prout etiam ex parte Regis idem cauebitur & præstabitur: quæ quidem res tam æqua ac iusta videtur, vt citra tergiuersationem recusari nequeat. Datum Coloniæ xxiiij. Augusti, Anno M. D. LXXIX.

XXIX. Augusti, Legati Ordinum, receptis ab iisdem Ordinibus litteris, quibus molestiam suam declarabant, quam ex denegatis indutiis accepissent, cùm non dubitarent eam molestiam auctum iri, vbi Ordines secundò eas recusatas esse intellexerint, ne quid omitterent quod causæ suæ aliquo modo seruire posset, visum iis fuit exemplum earundem litterarum Dominis Commissariis exhibere, vt & vnà cum illo ea quæ se-

quenti scripto continentur, ore exponere, prout ab iis factum fuit.

Ex Gallica lingua in Latinam translatæ.

LITTERÆ ORDINVM.

DOMINI. Accepimus litteras vestras, tam eas quas tertio, quàm eas quas XI. huius mẽsis scripsistis: ex quibus cùm intellexerimus indutias, per vos nostro nomine petitas, recusatas esse, non possumus non id ægerrimè ferre: quandoquidem eæ medium dedissent, facilius ad pacem peruenien di, & per earum recusationem, quam dudum acerbitatem incolæ Belgij ob bellı continuationem animo conceperunt, ea nullo modo poterit sopiri: quoniam hæc denegatio videtur satis apertè declarare, quòd in hoc pacis negotio non procedatur bona fide vel serio, & quòd Rex Hispaniarum nõ admodum procliuis sit ad commodum, quietem, & tranquillitatem harum ditionum: tamen in exonerationem nostri coram vniuerso mundo, ad singulas prouincias misimus puncta & articulos, præfatam pacem concernentes, super quibus expectamus hîc resolutionem earundem prouinciarum. Datæ Antwerpiæ XXIII. Augusti, anno M. D. LXXIX.

SCRIPTVM.

Reuerendissimi, Illustrissimi, Generose, Nobilis, Sacræ Cæs. Maiestatis Commissary.

ILLVSTRISSIMVS Dux Arschotanus & nos reliqui Ordinũ Legati, cùm facilè coniiciamus Cel-

Celsbus & Dign. Vis nonnihil eam moram, quæ nunc ab Ordinibus, post exhibitas vltimas pacis condiciones, interponitur, grauem & molestam esse; omittere nullo modo potuimus, quin iisdem Celss. & Dign. V. exemplum earum litterarum, quas hesterno die accepimus, cõmunicemus; vt ex iis causam istius moræ cognoscant & perspiciant.

RESOLVTIO quidem à Statibus singularum prouinciarum de die in diem super iis expectatur: sed postquam prima nostra petitio de indutiis à Duce de Terranoua denegata nobis fuerit, quid inde euenturum Ordines metuant, non obscurè litteræ eorum indicant.

QVID ergo erit, vbi responsum Ducis de Terranoua ad secundam nostram petitionem de iisdem indutiis acceperint & perlegerint? cùm in eo nihil ferè sit, si penitiùs consideretur, quod non plus ad irritandos, quàm ad leniendos & conciliandos eos faciat.

NARRATVR quidem de propensione quam Excell. eius ad inducias ab initio habeat, sed tamen res ipsa ostendit, cùm toties eas petierimus, grauesque causas attulerimus, cur illæ concedi debuerint, nihil nos vnquam, imò ne tum quidem cùm exercitus Regius nulli rei, quàm vexandis & depopulandis agris intentus esset, impetrare potuimus.

SPEM pacis satis superque calamitates subditorum ostendunt; quid enim iis posset esse gratius, vel magis necessarium? eandem spem pacis maior pars populi, qui Catholici Romani sunt, declarant: multæ ciuitates, multi nobiles ad eam [illegible]

dam paratos se offerunt: idem suis litteris Ordines, & nos eorum nomine sæpiùs significauimus. Solum medium istud petitum est, quo solet super pacis condicionibus agi, sed in hunc vsque diem recusatur. Quid putamus subditos cogitaturos? hoc nimirum, quod ex litteris, hîc exhibitis, Celss. & Dign. V. percipient, deinde esse aliquos qui existiment Ser. Regi ex nostris discordiis & mutuis lanienis plus boni, quàm ex concordia & pace nobis data prouenturum.

VTCVNQVE sit, vberrimam spem præbere se, & præbuisse hactenus ad pacē dicimus, sed deesse tempus & locum: item deesse quietem & tranquillitatem, quæ in tam magna rerum confusione, tam vehementi animorum alienatione & perturbatione, ad rem tantam opus est: ita qui rectè & Regi & subditis consultum volunt, non indutias vnius aut alterius mensis, vt nos petimus, sed potiùs totius anni suadere & indulgere debebant.

NEQVE id sub ea condicione, qua soli Ordines suas ciuitates præsidiariis militibus exonerarent, quæ paucæ numero sunt: pleræque enim prouinciæ & ciuitates nullum militem habent, sed qua Hispani & Malè-contenti ad paria facienda simul teneantur & obstringantur.

NVNC verò cùm requiratur ex nostra parte id solum fieri, præterea cū eo casu primùm, hoc est liberatis ciuitatibus nostris præsidiariis militibus, de cōdicionibus, sub quibus indutiæ constituendæ erunt, agere incipiemus, quàm alienum hoc ab omni pacis studio subditis videbitur, nemo prudens

dens est qui non intelligat. Quod ad nos attinet, seriò dicimus vehementer nos dolere eiusmodi mediis proponendis viam ad pacem impediri.

QVINETIAM summopere miramur, vbiq. Mandati mentionem fieri, quasi per insufficientiam illius impedimentum aliquod vel indutiis vel paci obiiciatur; ex subditis tamen erunt, qui sub eius prætextu aliud aliquid quæri existimabūt: nos verò arbitramur frustrà difficultatem de eo fieri; nam habet omnia sua substantialia, quæ habere debet, nec quicquam relatio, in eo facta ad Instructionem nostram, ad rem pertinet: quia iam ante non semel, sed aliquoties declarauimus, nos non aliam habere Instructionem, quàm quæ articulis à nobis exhibitis continetur; quod etiam ostendere & docere tum parati fuimus, & incontinenti etiam nunc ostendere & docere parati sumus. Addidimus quoq. si necesse est, & negotium eò deductum fuerit, nos effecturos, vt singulæ prouinciæ, quæ per nos hîc acta sunt, grata & rata habeant. Id etiam Celss. & Dig. V. hucusque cognouerunt ex litteris Ordinum, per nos exhibitis, & cognoscent, si vel articulos, iam antè exhibitos, Ordines approbauerint, vel quid vlteriùs conuentum vel concessum fuerit. Postquam Illustrissimus Dux, & nos putauimus expedire, vt exemplum litterarum, quas diximus hesterno die nos recepisse, Celss. & Dig. V. exhiberemus, simul visum nobis fuit, reliqua ista adiicere: quæ vt æquis animis eædem Celss. & Dig. V. accipiant, amicè, humillimè, humiliter & officiosè postulamus. Actum Coloniæ XXIX.

Augusti M. D. LXXIX.

I. Septembris aliqui Consiliarij à Dominis Commissariis ad Legatos Ordinum missi, requirunt ab iis visionem originalium litterarum, quarum exemplú postremò exhibuissent. Illi animaduersa causa istius visionis, vnà cum earum litterarum traditione, rogant ne Celss. & Dign. eorum offendantur verbis illis; *Bona fide & seriò*, &c. quibus Ordines in iisdem litteris vtuntur; non enim respectu Dominorú Cõmissariorum, sed aduersariorum suorum dicta esse. Cùm replicarent Cõsiliarij illi indefinitè verba ista poni, ex sequẽtibus Legati ostendunt alium intellectum eorum verborum esse non posse: vrgentes deinde vt eam declarationem in scriptis facerent, rogant vt quod ore proposuissent, ore etiam sibi responderi paterentur, non esse suum scriptú, sed tamen non aliter se verba illa, quã prout ostẽdissent, intelligere.

XI. Septembris cùm Legati Ordinum litteras ab Archiduce & Ordinibus accepissent, illas litteras ex causis, quæ sequenti scripto exponuntur, Dominis Commissariis altero die exhibuerunt.

SCRIPTVM.

Reuerendissimi, Illustrissimi, Generose, Nobilis S. Cæs. Maiest. Commissarij.

CELSITVDINES & Dign. V. Illustrissimus Dux Arschotanus, & nos reliqui Ordinum Legati,

Legati, amico & submissis animis, celare nõ possumus, nos hesterno die binas litteras, eiusdẽ ferè argumenti, vnas à Seren. Archiduce Austriæ Matthia, Gubernatore & Capitaneo nostro generali, alteras ab Ordinibus accepisse: in quibus præter causas, quas repetunt, iam antè quoq. excusatæ moræ, vnà etiam statum consultationis, quæ super Pacificationis articulis per singulas prouincias haberi debeat, exponunt.

NVLLA quidẽ prouincia est, nullus subditus, qui non ex toto animo reconciliationem cum Seren. Rege, Principe & Domino nostro naturali, inire desideret; nullus, qui non pacem publicè & priuatim persequendam esse existimet: sed talia dicta & facta nostrorum aduersariorum referunt, quæ iisdem prouinciis & subditis non solùm impedimentum ad eam præstent, sed simul etiam alia studia in animis eorum excitent, quæ magis ad arma defendendi sui gratia, quàm ad pacem spectare videntur.

SED hæc malumus ex allegatis litteris (quarum exempla hìc exhibemus) quàm ex nostro sermone cognosci & audiri: hoc vnum tantùm addere nos oportet, cùm ex iisdẽ litteris Celss. & Dign. V. simul perspicient, prædictos articulos Pacificationis, non ita Ordines approbaturos esse; nobisq. iniungant, vt alia media, quæ apud vtramq. partem ad effectum perduci queant, postulemus.

PROPTEREA easdem Celss. & Dign. V. obnixissimè rogatas volumus, vt, si fieri possit, præueniẽdo, antequã scilicet resolutio per Status singularum prouinciarum fiat, eaq. huc transmittatur

(ita

(ita enim multis obstaculis & impedimentis obuiam ibitur, quæ postea non tam facilè remoueri poterunt) huiusmodi media proponere nobis dignentur, quæ subditis plenam securitatem, maioremque libertatem, quàm quæ adhuc concessa est, animis & conscientiis eorũ adferat, circa quæ duo difficultas omnis versatur.

Non potest esse uniformis & simplex lex omnibus per aquè reipublicæ, sed uaria legei pro uariis locorũ, personarum, temporum circumstantiis uariè sunt accommodandæ. Plato lib. 5. de leg.

In quibus etiam optamus, vt Celsſ. & Dign. V. non tam ad ea, quæ in suis vel aliis ditionibus, pacto & lege conuenta & statuta sunt, respiciant, sed quæ expedit nunc propter præsentes necessitates in ditionibus nostris conueniri, & statui: non enim omnium pactorum & legum eadem causa & occasio est, nec par ratio & necessitas est in omnibus locis. Sed & negotium istud per se tale est, in quo nemo aberrare aut peccare potest, qui alterius commisereatur; vel indulgendo, & permittendo quid, patientiam cum eo habeat. Dictum & exhibitum Coloniæ XII. Septemb. Anno M. D. LXXIX.

LITTERÆ ARCHIDVCIS.

Ex Gallica lingua in Latinam translata.

Cognato meo Duci Arschotano, Principi Chimaici, Comiti Bellomontij, Marchioni Rentiaci, & c. Equiti Ordinis aurei velleris, ac aliis Dominis Belgij Legatis, Coloniæ.

Cognate & Domini. Perquam graue nobis fuit, ex litteris, XXVJ. diei superioris mensis, tam ad nos quàm Ordines generales scriptis, intelligere Ducem Terranouanum nolle in aliquas indutias consentire, saltem sub æquis condi-

tionibus: id quod augebit opinionem, quam pleræque præcipuæ prouinciæ & ciuitates conceperunt, hanc scilicet tractationem pacis non haberi, nisi vt interea temporis procurẽtur diuulsiones & dissensiones inter prouincias & ciuitates, quò tãto faciliùs vtræq. possint supplãtari, prout ipso facto fieri cernitur. Quã ad rem etiam facere videntur litteræ dicti Ducis Terranouani, ad singulas prouincias, atq. adeò ad præcipuas ciuitates, vnà cum articulis, per Dominos Electores vltimò propositis, missæ, comites earũ litterarũ quas iidẽ Domini Electores scripserunt. Veruntamen cũ prouinciæ & ciuitates, quæ hactenus constantes perstiterunt, satis intellexerint aduersariorũ stratagemata, & actus: non credimus eas in posterum ob huiusmodi illecebras vacillaturas; quin potius inde occasionem accipient, sui stabiliendi, arctiusq; simul coniungendi, quò tãto meliùs hostiũ insidiis possint resistere. Videmus sanè exiguam admodum spem affulgere, quòd ex hac cũ Terranouano tractatione possit aliqua bona & secura pax obtineri, nisi Imper. Maiest. ac Domini Electores, interponentes suam auctoritatẽ, vberiùs concedant, proponantque condiciones æquiores, & quæ practicari possint in iis distrĩctibus vbi occasione turbarum (quia hæc pax tamdiu protracta est,) negotiũ religionis magis magisque accreuit: quod est vnicum remedium citiùs perueniendi ad optatum scopum. Siquidẽ facilè potestis considerare, quòd expectare resolutiones vniuscuiusque prouinciæ, singulorumq. membrorum eius, eaſdemq. postea cõmunibus suffragiis conciliare & cõcordare, res

erit admodum difficilis, propter diuersitatem ingeniorú & opinionum. Ne quid dicam, quod in longum protrahetur, quod potestis exponere illis, quibus pro rei vtilitate videbitur cõuenire. In reliquis referimus nos ad ea quæ ex litteris Ordinum intelligetis. Interea mi cognate & domini mei, Deum precamur, vt vos sua protectione dignetur. Antwerpiæ 1111. die Septemb. M. D. LXXIX.

Tuus cognatus & amicus
Matthias.
I. van Asseliers.

LITTERÆ ORDINVM.

Ex lingua Gallica in Latinam versa.

Dominis, Domino Duci Arschotano, Principi Chimaici ac Portiani, Comiti Bellomontij, Equiti Ordinis aurei velleris: Reuerendis in Christo patribus Abbatibus S. Gertrudis & Maroliensi, aliisq; Dominis Legatis Ordinum generalium Belgij, Coloniæ.

DOMINI. Accepimus litteras vestras XI. & XXVI. Augusti, vnà cum exemplo litterarum quas domini Commissarij, tam nobis quàm Statibus particularium prouinciarum, scripserunt, ac responsione Ducis Terranouani, super indutiis & armorú suspensione, &c. ac dolet nobis, quòd, non obstante summa diligentia ac seriis postulationibus vestris, idem Dux Terranouanus noluit acquiescere iisdem indutiis, nisi sub condicionibus iniquis, & quæ solùm maiorem materiam & occasionem præbent augendi dissensiones

nes intestinas, quò solùm spectant, vt veremur, præsentationes & moræ Hispanorum, præsertim cùm indies detegatur, tum ex epistolis interceptis, tum ex iis quæ ad nos perferuntur ex regionibus peregrinis & confessionibus captiuorum, Hispanorum mentem nullo modo esse, ex his regionibus abire, sed solùm id simulare, vt eo facilius promoueant dissensiones intestinas, & imponant imprudẽtioribus, quemadmodum quotidie multis in locis contingere videmus: vnde alij occasionem accipiunt maioris diffidentiæ, & procurandæ suæ defensionis. Videntenim tractatus Principis Parmensis cum Artesiensibus & Hannoniensibus, ac Ducis Terranouani nobiscum inter se differre: quæ diuersitas & separatio facit, vt hactenus non potuerit haberi responsio, aut deliberatio prouinciarum particularium, super scripto per Illust. dominum Archiducẽ Matthiam, nec super articulis per dominos Commissarios propositis, sine qua impossibile est nobis finalem resolutionem capere, ac cõmuni nomine vobis aliquam mutationẽ seu moderationẽ dictorũ articulorũ mittere, idq. etiã post termini expirationẽ, & in præiudicium ac displicentiã (vt aliàs scripsimus) eorũ cum quibus tractauimus. Ab hinc tamẽ quinq. aut sex dies iterum scripsimus particularibus prouinciis, neque desistemus sedulò iterum eis mandare, vt sua suffragia ac resolutiones accelerẽt. Ceterũ vti hîc aliquid moræ metuimus, præsertim in hoc rerũ statu, & quòd suffragia prouinciarum particularium futura sint tam diuersa, vt ægrè poterint conciliari, vehementer equidẽ optaßemus, ad vitãdas moras

& lon-

& longiores dilationes, admodum pernicioſas, tum Regiæ Maieſt. tum quieti publicæ, vt Cæſ. Maieſtas ac Domini Commiſſarij dignati fuiſſent interponere ſuam auctoritatem, & pro magnitudine vulneris, ac ad præcidendum progreſſum diffidentiæ, quæ indies creſcit in animis ſubditorum, plena quadam menſura procedere, ac talem moderationem proponere, quæ practicatu ac factu poſſibilis ſit, ſine diſcrimine & periculo omnium prouinciarum, & cuius medio vnuſquiſque poſſit eſſe ſecurus & tranquillus. Id quod etiam poteritis exponere præfatis Dominis Commiſſariis: nos cùm primùm noua acceperimus à particularibus prouinciis, eorum vos certiores faciemus: interea cupimus, vt in negotio principali conformetis vos iuxta præcedentes noſtras litteras. Intra triduum vel quatriduum tam Duci Terranouano, quàm Commiſſariis Cæſareis mittemus reſponſum ad illorum ſcriptum. His, Domini, Deum rogamus, poſt officioſam noſtri commendationem, vt vos diu ac feliciter conſeruet. Antwerpiæ vi. Septemb. M. D. LXXIX.

Vobis beneuolè addicti amici Ordines generales Belgij.

Mandato dictorum Ordinum,
I. Houfflin.

XV. Septemb. Legatis Ordinum per quoſdam Conſiliarios indicatum fuit, Dominis Commiſſariis non conſultum videri, antequam reſolutionem Ordinũ ſuper prioribus mediis accepiſſent, ad

ad alia media progredi: Cui reſponſo, cùm nihil ipſis præter opinionẽ ſuã accidiſſet, acquieuerunt.

XIX. Septemb. Legati Ordinum litteras à Statibus Brabantiæ acceperunt, quibus binæ ſubiunctæ litteræ, vnæ ad Dominos Commiſſarios, alteræ ad Ducem de Terranoua datæ, incluſæ erant; quas incontinenti ad illos tranſmiſerunt.

LITTERÆ AD DOMINOS COMMISSARIOS.

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, Generoſe, Nobilis Sacr. Cæſ. Maieſt. Commiſſarij.

EFFICIT diuturni huius belli calamitas, ac totius agri Brabantici vaſtatio, qua à Duce ſuo Rege Hiſpaniarum, ſeu eius per Belgium præfectis, nimis inquè premitur, vt non ſolùm pacis conditiones propoſitæ, ſed etiam ipſa pacis cogitatio gratiſſima nobis ſit, mireque animos ſubditorũ recreet: tum verò ſummæ eſſet ingratitudinis ac inhumanitatis, operam, quam hac in re tanti Principes ampliſſimique viri ditionibus iſtis hactenus præſtiterint, leuem exiſtimare: nos certè eam ſemper fecimus maximi, atque eo nomine Celſſ. & Dig. V. ſummas gratias agimus, obnixeque rogamus, vt rem tanti momenti aliqua ex parte bene inceptam, feliciùs perficiant, neu deſerant. Sed cùm ſalus iſtarum prouinciarum inferioris Germaniæ ad Sac. Cæſ. Maieſt. ac Celſſ. & Dig. V. & vtilitatem ſubditorũ ſuorũ magnoperè pertineat, animũ inducãt, dignenturq. (quod ordinem

suum atque splendorem deceat) causas proprias nonnihil seponere, & quoad eius fine periculo & graui incommodo fieri poterit, negligere, quò celeberrimæ huius Reipublicæ compositæ pristinoque nitori restitutæ beneficium apud Deum Opt. Max. laudem verò immortalem vbiuis terrarum referant. Dolemus profectò negotium hoc tantam moram secum trahere: sed quorsum attinuit Ducem de Terranoua populum, qui beneuolentia & æquabilitate Principum suorum, seu Ducum, seu Comitum, seu Dominorum retineri consueuerit, tamdiu tam illiberaliter, durisque, nec vlla ratione accommodatis condicionibus distinere? nisi id studio habuerit, vt statim omnium animos in ipso limine ab hac Pacificatione redderet alienos; intelligerentque nihil se ex Regis clementia sperare debere, quod non velut mercatu licitando extorqueatur, non concedendum, si denegando fine proprio detrimento queat auferri. Quemadmodum etiam cum vniuersa plebe nos ipsi satis mirari non possumus, illi Pacis huius negotium adeò non esse cordi, vt in pacis cendis indutiis ne tantillum quidem auctoritati Imperatoriæ, ac Celss. & Dignitatum vestrarum (quarum hæ arbitrij partes erant,) censuerit deferendum: nimirum, vt increscente bello, multitudinem armorum strepitu impeditam, frementemque, ab omni spe pacis reuocaret, ac nequicquam eò etiam magis impelleret, quos ea ratione ad tranquillitatem componi potius, quàm vel intestinis dissidiis, quæ in desperationem plerosque adigunt, aut vi ac furore Hispanorum, quem

quem iamdudum etiam mortis periculo contemnere didicerunt, deterreri: Tum verò in ipsis pacis condicionibus adeò ægris animis, morbique vim quotidie alentibus, parum præsidij est, siue ad securitatem publicam ex proposita gubernationis ratione, siue ad vitę commoditatem ex moribus & præfinita religionis obseruatione respicias, vt difficile futurum sit, hic varia multumque dissidentia hominum ingenia atque studia, in vnam sententiam opinionemque adducere, & vbique inter se consentientia reddere. Quamquam autem hæc omnia magni ponderis, multaque alia sint, quæ ad conciliandam hanc pacem momẽti plurimum habeant: annitimur tamen, quantum in nobis erit, & præsens rerum status patitur, vt negotium hoc quam citissimè promoueatur, vtque Comitiis Ordinum Ducatus Brabantiæ pleraque sic temperentur, quò Imper. Maiest. ac Celss. & Dign. V. totique orbi Christiano manifestum fiat, nos saluti, tranquillitati & vtilitati publicæ omnia, nihil verò priuatis affectibus tribuisse; cognoscatque Rex Catholicus, Brabantiæ Dux & Princeps noster, nos non minus suæ Maiest. quàm omnibus retrò Ducibus ac dominis nostris clementissimis subditos deuotosque manere: præsertim cùm hactenus nihil ab Ordinum Legatis isthic postulatum sit, vel ad populi libertatem ac securitatem, vel ad Regis auctoritatem omnémque politiam, quod non (quantum ad Ducatum Brabantiæ attinet) ex priuilegiis iuréque patrio, atque etiam pactis, conuentis & quidem iurato debeatur. Porrò Celss. & Dig. V. humiliter, humillimè officioséq.

precamur, vt interea Ducem de Nouaterra sic mitigare velint (si Cæs. Maiestatis desit auctoritas) vt aliam, quàm hactenus fecit, pacis, hisce ditionibus (quæ eorum commercia officiorumque commutatio & cum aliis vicinitas est) conficiendæ rationem ineat, ingeniisque ac moribus incolarum nonnihil concedat, nec ad accuratam rigidamque & summam Hispanici moderaminis regulam (cùm ita non consueuerint) omnia metiatur: ita futurum est, vt huic Reipub. pristina redeat tranquillitas, eaq. diuturna, quam perpetuò Sac. Cæs. Maiest. ac Celss. & Dign. V. summa cum gratitudine animorumque propensione, obseruantia & obsequio acceptam feremus, post Deum Opt. Max. qui eam nobis pro immensa sua bonitate ac gratia largiatur, atque Celss. & Dign. V. in multos annos seruet incolumes. Antwerpiæ sext. Id. Septemb. M. D. LXXIX.

Celss. & Dign. V.

Addictissimi

Ordinum Ducatus Brabantiæ deputati, nunc Antwerpiæ congregati.

Mandato prædictorum dominorum

Signat.

And. Hessel.

LITTE-

LITTERÆ AD DVCEM DE TERRANOVA.

Ex Gallica lingua in Latinam translatæ.

Illustrissimo Domino, Domino Duci Terranouano &c. Regis Catholici Legato, Coloniæ.

GRATISSIMÆ nobis fuerunt eæ litteræ, Illustrissime Domine, quas nobis dignatus es xiij. Augusti scribere; quoniam nos adhortantur ad pacem tam optatam perficiendã, ad quam & vt possimus hos Ordines cum Rege nostro Principe & domino videre reconciliatos, non sumus minus proni, quàm ab omni quo insignia gestauimus singularis fidei erga omnes Duces Brabantiæ, ipsius antecessores, Dominos nostros clementissimos, qui etiam illam in nobis fidem, amore quodam & beneuolentia paterna, agnouerunt, donec eorum absentia mercenariis ministris dedit cõmoditatẽ & facultatem alendi inter nos sinistras suspiciones, dissidia, odium & rigorem, contra iura & priuilegia patriæ. vnde ab omni tempore in republ. orta sunt multa incõuenientia & ataxiæ curatu perquàm difficiles, & quę vix diuerti possunt, vbi tẽpestas clauo vim adferre incipit, adeò vt non sit opus nos admodum monere & inclinare ad pacem: siquidẽ omnibus mediis possibilibus adnisi sumus, eam consequi & promouere: simul etiã calamitates populares satis indicant, nõ ex voluptate hoc bellũ geri; modò articuli & condiciones propositæ tales essent, vti tua Excell^a eas suis litteris facit; quippe quæ possint idoneã satisfactionem & securitatẽ vnicuiq. præstare. Quin potius propter diuersitatẽ animorum, quæ est inter incolas huius

regionis, & qui indies magis ac magis exaſperantur, vehemẽter veremur eas pro talibus nõ habitũ iri ſuffragiis noſtrorũ Statuũ & membrorum, quæ quanta fieri poteſt diligẽtia promouere ſtudemus, vt referantur ad Comitia Ordinũ generaliũ, conferantur cum ſuffragiis aliarum prouinciarum, & procuretur bona & æquabilis reſolutio, quæ Dominis Principibus Electoribus, ac aliis Commiſſariis Cæſ. Maieſt. trãſmittatur. Interea obnixè & humiliter tuam Excell. rogatam volumus, vt dignetur dictos articulos ita tẽperare & moderari, quò incolæ poſſint certò ſibi perſuadere, & animaduertere, tibi non minùs commendatam & cordi eſſe pacem ſecuram & diuturnam, ad ipſorũ quietem & patriæ proſperitatem ſtabilire, quàm ſolam abſolutam auctoritatẽ Regiam promouere, & cõciliis, magiſtratibus ac muneribus adhibere eos, quos arbitrantur offenſos eſſe propter mutationes exortas, & qui propterea etiam vindicta & vltione pleni ſunt. Profectò Domine hac in parte ſumma eſt diffidentia: proinde dignetur V. Excell. nobis credere, verum ac vnicũ Regiæ Maieſt. ſeruitiũ & obſequiũ in eo reſidere, vt benignitas & clemẽtia ipſius diſpenſetur, pro modo profunditatis huius vulneris; neq. quis ſibi polliceatur victorias & trophæa ex diſſidiis inteſtinis, quę inter nos practicãtur, quę multis mutationibus obnoxia ſunt. Nullũ priuatum intereſſe eſt, quod aliquis noſtrũ habere poſſit, nec minima intentio retrocedendi vel difficultatẽ iniiciendi huic tractationi, quæ nos incitat ad hæc dicenda, verùm ſingularis affectus ad eam promouendam, vtque res in eum ſtatum veniat, quò

Plutarchus in Cæſare: Triumphus ex patriæ calamitatibus & ciuili ſanguine partus, fœdus & acerbus eſt.

quò ambæ partes ſibi mutuò poſſint occurrere, & fœdere iungi. Nouit Deus Opt. Max. quem rogamus vt id ſua gratia nobis largiatur, tuæq. Excell. opus tam ſanctum donet perficere, fauſta & longa vita comite, vnà cum laude & gloria immortali, qua ipſum afficient omnes harum tam miſerè afflictarum prouinciarũ incolæ: quemadmodum etiã nos, quantum in nobis erit, perpetuò tibi beneuolè & humiliter deuinctiſſimi manebimus. Antwerpiæ VII. Septemb. M. D. LXXIX.

Tuæ Excellentiæ officioſè addicti clientes deputati, & alij Statuum Brabantiæ, Antwerpiæ congregati.

Mandato dictorum Dominorum

And. Heſſels.

XXIIII. Septemb. Legati Ordinum ad concilium vocati ſunt, vbi Domini Commiſſarij per Cancellariũ Treuerenſem breuiter repeti & exponi illis faciunt, cum commemoratione operę & diligentiæ quam negotio iſti adhibuiſſent, ea quæ à tempore quo media exhibita erant, accidiſſent: quippe incontinenti ſe media iſta, additis ſuis litteris, ad Ordines generales & particulares, deinde ad præcipuas quaſque ciuitates tranſmiſiſſe, vt ſuper iis iudicium & voluntatem ſuam declararent: cumque nullum reſponſum acciperent, ſecundò ſe ad eos ſcripſiſſe, præfixiſſeque illis tempus trium hebdomadarum, ſed & eas quoque iamdiu

finitas esse, nec tamen certam resolutionem ab vlla se prouincia vel ciuitate accepisse, nisi à sola ciuitate Buscoducensi, quæ media ista approbasset, ex aliis quasdam prouincias & ciuitates ad litteras istas respondisse, sed quę magis excusationem moræ, quàm explicationem iudicij & voluntatis suæ super mediis istis continerent, illam verò suam resolutionem ad Ordines generales reiecisse: Vltimò missas ad se esse litteras à Statibus Brabantiæ, ex quibus facilè animaduertāt, media ista in eum modum quo proposita sint, non magnopere ipsis grata & accepta esse: quorum iudicium apud alias prouincias magnum momentum habiturum existimabant, ac propterea talem resolutionem non futuram qualem expectarent, longioremque moram interessuram, quàm res suæ ferre possint; sed & pestem incipere hic grassari, quæ iam quorundam ex se familias inuasisset, cuius occasione sola abire tandem cogentur: negotium tamen per se tale esse, ad quod facilè resolutio fieri possit, quippe quod ipsorum proprium sit, domesticum & internum, non alienum: rogare ergo Legatos, an non responsum aliquod ab Ordinibus ipsi accepissent, vel quando illud expectarent; addentes se adhuc breuem iis terminum præfigere velle, intra quem nisi resolutio Ordinum aduenerit, se de abitu cogituros.

AD quod Legati respondent, præmissa solita gratiarum actione, moram istam non solùm Celss. & Dign. eorum, sed & ipsis grauem esse: causas tamen istius moræ iā antè se explicasse; fuisse etiam in Geldria litteras istas interceptas, quibus media ista

ista inclusa erant, propterea seriùs etiam ibi comitia indicta esse: idem fortè accidisse in aliis prouinciis. ac licet intellexerint, multas prouincias suum iudicium iam pridem super iis mediis interposuisse, generalem tamen resolutionem ab Ordinibus nullam fieri posse, nisi omnes prouinciæ suum iudicium super iis ad illos transmiserint: orabant ergo non tantùm vt moram illam non ægrè ferrent, sed vnà etiam ne grauarentur tamdiu hic permanere, donec resolutio ista ab Ordinibus fieret, atque huc transmitteretur; expectare se in dies illam, nec desinere suis litteris monere & rogare Ordines, quo quam citissimè expediatur. De nouo termino Ordinibus præfigendo, ipsorum gratiæ & arbitrio relinquebant; rogantes tamen vt terminum illum non nimis coarctarent, ne deliberatio præproperè facta, aliquid incommodi isti negotio adferret.

XXVI. Septembris cùm Legati Ordinum sub vesperam litteras ab iisdem Ordinibus accepissent, quibus adiunctæ erant litteræ ad Dominos Commissarios, & Ducem de Terranoua datę: has binas litteras altero die, cùm simul in concilio essent, vtrisque exhibuerunt, rogantes vt eorum quæ in litteris illis continerentur, rationem habere vellent; se enim in mandatis habere, vt præter instructionem suam, super iis quoque agerent & procederent.

Ex lingua Gallica in Latinam translata.

LITTERÆ ORDINVM AD SVOS LEGATOS.

Dominis, Domino Duci Arschotano, Principi Chimaici & Portiani, Comiti Bellomonty, &c. Equiti Ordinis aurei velleris: Reuerendis in Christo patribus Abbatibus S. Gertrudis & Maroliensi, ac aliis Dominis Legatis Ordinum generalium Colonia.

VESTRAS, Domini, litteras xiij. huius mensis datas, cum scripto adiuncto accepimus, & ex iis intelleximus egregiam operam, quã isthic nauatis, eoque nomine vobis gratiam habentes, etiam atque etiam à vobis petimus & contendimus, vt vestræ instructioni inhærentes ac insistentes, vos comparetis ac omnia dirigatis, iuxta litteras, quas non ita pridẽ scripsimus, tam Duci Terranouano, quàm Dominis Principibus, Cæsareis Commissariis; quæ exempla his adiuncta sunt, vnà cum copia litterarum nostro nomine Imperatori missarum, XX. Iulij M. D. LXXVIII. quarum sit mentio in litteris quas dictis Principibus mittimus. Interim valete in Domino, nosque vobis commendatissimos habete. Antwerpia XX. Septemb. M. D. LXXIX.

T. Excell. Pat. & D D. benevolè & obsequiosè addicti, Ordines generales Belgij.

Mandato dictorum Ordinum

I. Houfflin.

LITTE-

LITTERÆ ORDINVM AD DOMINOS COMMISSARIOS.

Reuerendissimi, Illustrissimi, Generose, Nobiles, prudentes & Circumspecti.

QVOD ad litteras Celss. & Dign. V. nondum respondemus, non nostra culpa, negligentia aut cessatione accidit; sed quia propter magnitudinem negotij, & prouinciarum diuersitatem, hactenus neque de formula certi mandati, prioribus litteris requisiti, neque in approbationem, contradictionem aut moderationem propositorum articulorum (de quibus posterioribus litteris Celss. & Dign. V. agitur) conuenire potuimus.

ETENIM quod ad Mandatum attinet, natura rei principalis talis est, vt antecedentem partium disceptationem & communicationem exigat, nec limitibus seu formula certi Mandati ab initio circumscribi aut concludi potuit, & liberum atque absolutum Mandatum, in re tam graui, deputati destinati Coloniam, propter nimium onus atque periculum, detrectassent accipere, vti etiam in talibus prouinciarũ causis, inter horrida bella summam rerum absque præparatione & referendi necessitate particularibus committi, nec ratio nec consuetudo patitur.

CVMQVE articuli, à vestris Celss. & Dign. trãsmissi, omnes ex æquo respiciant, primo quoq. tempore eos omnibus & singulis communicauimus, vt

HAVERKAMP BIBLIOTECA OHLIGSCHLAGER

singu-

singulorum arbitrio & voluntate intellecta, communi consensu de cõmuni caussa statueretur, atq. tam Duci de Terranoua, delegato Maiest. Catholicæ, quàm vestris Celss. & Dign. aliquid certi responderetur: & quamuis Princeps Parmensis, & pleriq. alij, in contemptũ auctoritatis Cæsareæ, & vestri celeberrimi conuentus, non destiterint per particulares cõuentiones moliri distractionẽ prouinciarum, atq. subditos maioribus exagitare dissensionibus, quæ nobis non leuem malè suspicandi causam, & occasionem capiendi alia consilia præbuerunt; nihilominus tamen desiderio & enixo studio sinceræ pacis, quo tenemur, à constantia promouendi communẽ tranquillitatem publicq fœdere non defleximus, continuò instando vrgendoq. apud prouincias, vt super dictis articulis quã celerrimè deliberarent, atque intentionem suam significarent, ita vt in nobis nulla mora sit, sed rei pondus, multitudo prouinciarum, naturalis opinionum varietas, & contraria maleuolorum hominum studia, tarditatem inuexerint, quam V. Celss. & Dign. re penitius inspecta, & ob caussas supradictas, non iniquo animo laturas cõfidimus.

INTERIM verò ex animo agnoscimus, & perpetua gratitudinis memoria celebramus, benignum atque paternum affectum Cæs. Maiest. erga has calamitosas ditiones, & vestrarum Celss. & Dign. in pacandis illis præclarã diligentiã, studiũ atque laborem, tametsi res malo quodam fato nõdum in eum statum perducta sit, quem ratio temporum & rerũ postulat. Maius enim, vt veremur, est malum, & altioribus radicibus prouinciarum corporibus infixum, quàm vt remedia, in dictis articulis comprehẽsa, curationi sufficiant, nisi Regia Maiest. effuso benignitatis sinu, dignetur maiorem in subditos suos exercere liberalitatem, & hactenus angustis exstillantia venis, longiore progressu in magnos amnes extendere.

NAM vt cum bona venia vestrarum Celss. & Dign. & sine præiudicio prouinciarum, è multis pauca attingamus, si iuxta nonũ articulum omnes hactenus absentes, vel amoti ab officiis ptistinum ordinem, statum ac dignitatem recuperent, atque auctoritatem imperiumq. consequantur; quid reliquis expectandum est; quàm cum summa rerum omnium perturbatione vincula, proscriptiones, exilia & cædes, patefacta via Hispanis, odio ditionum adhuc flagrantibus, recuperandi eas quãdocumque voluerint, administrantibus Rempub. eorum amicis, sociis & confœderatis, qui eorum beneficio restituti patriæ & dignitati pristinæ, sine illis arbitrabuntur vitam sibi nõ satis securam fore: & huius periculi procliuiorem occasionem reddunt separata & particularia cum Hannoniẽsibus & Artesiensibus, in propriam eorum perniciem ac præiudicium, vicinarum prouinciarum subtiliter excogitata fœdera, & ad Hispanorum, si fortè (vt Græci à Troia) simulatè abire incipiant, voluntatem & obsequium conscribendi exercitus obligationes.

NEC non XVI. & XVII. articulorum decreta de tradendis ilicò omnibus ciuitatibus, fortalitiis, armis & munitionibus Gubernatori generali, ex arbitrio Regis Catholici designando, quod supe-

superioribus annis in conuentu Bredensi soli Hollandi Zelandique recusarunt, & in fœdere Gandauensi expresse pro securitate sua contrarium stipulati sunt, & conuenerunt, ita vt per articulum illum decimum septimum, contra pacem Gandauensem, Principi Auraico prærogatiua gubernationis adimatur, & Hollandis, Zelandisq. ac Bommelensibus, eorum confœderatis, imperetur ciuitatum, castrorum & munitionum (in quibus securitatem suam habent positam) restitutio, & insuper denegetur omnibus prouinciis in vniuersu ea securitas, sine qua Hollandi Zelandiq. soli cum vicinis reconciliari noluerunt, & qua sublata prouinciales, fragilitate solius iuramenti muniti, sese inimicis recenter recõciliatis committerent: quod humana fugit ratio, & natura abhorret.

ETENIM compertum est, quàm parum in regnorum & principatuum causis iurisiurandi plerumq. habeatur ratio, & quàm faciles sint dispensationes põtificiæ, maximè si Maiest. Imperij imminuta dicatur, aut iniustitia fœderis cum rebellibus subditis initi allegetur, aut color exurpandarum hæresum prætendatur: cuius occasione ante annos aliquot vidimus Galliam pacatam, miserabilisque tragè subitò conturbari, & cadaueribus occisorum repleri.

ET quamuis Edicto perpetuo publicato Dominus Ioannes Austriacus pacem Gandauensem cõfirmauerat, quid per secretas molitiones occupandorum castrorum & fortalitiorum, necnon per clandestina consilia cum ducibus Germanorum militum conatus est, nisi pacem illam Gandauensem

sem abrumpere, & neglectis pactis publicis, liberum dominatum per omnes prouincias acquirere?

IN quem finem etiam nunc spectare videtur frequens, & per multos articulos cum pace Gandauensi coniuncta commemoratio, dicti Edicti perpetui, quod ab Hollandis Zelandisque ab initio constanter apertèque repudiatum est, ab aliis sine magna discussione incautè admissum fuit: vnde causa omnium calamitatum nostrarum processit, & fax sequentium bellorum accensa fuit, propter generalem & simplicem promissionem & obligationem de conseruanda religione Catholica Romana, quæ illi Edicto inserta fuit, & in vim cuius Ioannes Austriacus mox ab initio Ordines ad arma sumenda religionis ergò impellere tentauit, & ipse Rex superstruendo (cùm omnes Ordines Baroni de Selles, Commissario Maiest. Cathol. se offerrent paratos, secundum terminos pacis Gandauensis & religionis obseruantiam & obedientiam superioritatis exhibere) pacem illam Gandauensem, tanquam infamẽ ac scandalis obnoxiam, reiecit atq. improbauit, reductisq. Hispanis, aliisque exteris crudelissimum bellũ redintegrauit, vt absolutũ imperiũ & religionis obseruantiam, qualis tempore Caroli Quinti Imperatoris fuerat, restauraret, vt res ipsa ostendit, & euidentiùs constat ex cõmunicatione cum dicto Barone de Selles habita, eiusq. instructione, & litteris Regiis, per eũ allatis, quæ cũ litteris Ioannis Austriaci publicè impressæ, in omnium manibus versantur: vnde prouinciales animaduertẽtes possessionẽ & vsum pacis Gandauẽsis à Rege denegari, & aperto

bello

bello atque incitati dissidiis intestinis hoc agi, vt qui à Romana religione declinauerant, & ad veterem morē ritumq. fidei, qui tempore Caroli Quinti fuerat, regredi nollent, vel expellerentur vel opprimerentur, derelictis cancellis dictæ pacis, quam retinere non licebat, in tantas turbas reciderunt, vt ad euitandam totius Reipub. subuersionem, necesse fuit vlterius procedere, & primò per litteras mutuæ securitatis, deinde per concordiam religionis, aliaque pacta ciuium tranquillitati prospicere.

OB quod magno odio digni sunt & detestabiles, qui prouinciales aut Ordines inconstantiæ, & quodāmodo periurij culpant, quòd admisso exercitio alterius religionis, intra terminos dictæ pacis Gandauensis non constiterint, cùm Rex, Regij Duces & Consiliarij, prætextu dicti Edicti perpetui, & quarundam litterarum (de quibus mox dicetur) priùs pacem illam, tanquam infamem reiecerint, atque vsum illius armis adimere, omniaque ad acerbitatem veteris inquisitionis reuocare tentauerint; sic vt Ordinibus, aut prouincialibus etiam, cùm maximè vellent & optarent, cum quiete & tutela Ecclesiasticorū non licuerit dictæ pacis condicionibus adhærere, vt vlteriora incommoda atque inconuenientia quæ acciderunt, declinare, propter contraria regiorum Ducum atq. militum studia, adeò vt (præter liberum arbitriū prouincialium, in mutando pacem illam quam inter se contraxerant) Regis Catholici seueritas, necessitas Reipub. & declinatio imminentium periculorum, quæ ex illato bello, & incitatis subditorum dissidiis, metuebantur, mutationem induxerint.

quod

quod meritò ad excusationē Ordinum vālere debet. Nihil enim imputatur ei, quem impetit potentior, aut cui noua caussa superuenit, aut quoties publica necessitas ad euitandas ciuiles dissensiones, & declinanda hostilis exercitus pericula mutationem exigit: Nam Reip. quieti omnes leges attemperandæ sunt, omnesque dispositiones & conuentiones intelliguntur rebus sic stantibus, & in eodem statu manentibus. Illi enim solū fidem fallunt, & inconstantiæ crimen contrahunt, qui cùm eadem moueant quæ erant tempore fidei data, non præstant id de quo actum est, nō etiam si mutatio superuenerit, aut aliquid inciderit quod impediat, maximè si (vt est in proposito) caussa mutationis & impedimenti ab eo cum quo agitur, processerit, & præsens periculum tumultuq. quod ex reuocatione illa pacis Gandauensis Regij parabant, certissimum imminet.

Ex quibus caussis etiam deducitur, quod de litteris Ordinū ad Regem scriptis adducitur: Nam si fortè olim ante pacem Gandauensem, particulares Ordines Regi Catholico per litteras obtulerunt religionis statum tempore Caroli Quinti vigentem, id vniuersitati prouinciarum non præiudicat, & sequens pacis Gandauensis interpositio atque omnium rerum mutatio efficit, ne subditi, tam ingentibus malis circūuenti, tot bellisq. casibus vexati, nunc ex interualli angustiis talium litterarum, quarum executionem & obseruationem temporis ratio prorsus constituit impossibilem, coarctari possint aut debeant.

POST verò pacem Gandauensem quicquid

N præten-

prætendatur in contrarium, non putamus aliquas reperiri litteras, communi Ordinũ consensu scriptas, quæ rectè expẽsæ, terminos dictæ pacis Gandauensis egrediantur, vt per Iustificationem Ordinum aduersus assertionẽ Ioannis Austriaci, publicis monumentis clarissimè demonstratum est: quinetiam si deputati Ordinum post pacem Gandauensem liberaliùs, aut Imperatori, aut Regi scripsissent, per hoc tamen non subuerteretur publicum fœdus Gandauense, absque speciali consensu singularum prouinciarum, à quibus illud sollemniter probatum & acceptatum fuit; nec impedirentur Ordines, post atrox bellum sibi à Rege illatum, & diu continuatum, tumultusque inde secutos, à prioribus consiliis discedere, atque ad alia confugere, quæ necessitati vel vtilitati Reip. conueniunt, & ad ciuium concordiam retinendã requirũtur; vti anno iam elapso & amplius, metu instantis mutationis, apud Cæsarem protestati sumus, in sollemni illa & per Ordinũ concordiã approbata responsione, quã Maiest. suę Imper. transmisimus per aulicum suum Consiliarium Baronem de Stubing, cuius exemplum his adiũximus; & quæ in tanta rerum mutatione præponderare debet antecedentibus epistolis, quarum caussa in hoc rerum statu variationẽ accepit: & cùm Regia Maiest. adeò fixo iudicio pacem Gandauensem semel improbauerit, & tantis bellorum sumptibus hactenus eradicare tẽtauerit, iustam dubitationem habemus de blandimentis, quæ specie dictæ pacis nobilitati & populo fiunt, verentes ne inter tot stipata exterorum agmina hoc solùm agatur, vt per

per captionem populi incitatis maioribus dissensionibus insidiæ ex æquo parentur omnibus.

NAM si Rex pacem illam, rebus prouinciarum meliori loco constitutis, improbauit, quis crederet post tot calamitates ditionibus illatas, & tantos belli sumptus factos, Regem ex animo pacem illam Gandauensem nunc ex interuallo probabilem iudicare, & subditis seriò offerre?

ET contraria argumenta manifestè suppeditant dictorum articulorum inuoluta conceptio, & dictæ pacis derogatio, non solùm circa auctoritatem Principis Auraici, & securitatem Hollandorum & Zelandorũ, verumetiam per Edicti perpetui accumulatam obseruationẽ, & expressam præscriptionem, quæ duobus articulis de Religione conceptis inseritur, per quam subditi reliquarum ditionum non obscurè anguſtioribus vinculis, quàm priorum pactorum cõcluduntur, coarctanturque omnes, secundum prætensam Edicti perpetui obligationem, ad professionem & vsum fidei Romanæ, vt ostendit effusa dispositio articulorum, & sequens exceptio, qua pax Gandauensis respectu religionis ad solos Hollandos, Zelandosq. ac Bommelenses restringitur: & quanquam sequenti articulo prætextu benignitatis, alij qui à fide illa recesserunt, tolerentur, id tamen cum ea restrictione indulgetur, vt solùm securitatem habeant aduersus rigorem regiorum Placitorum, & si ex ditionibus discedant, bonorum suorum curam Catholicis administratoribus relinquere, & reuertẽtes Catholicè viuere, & curatis Ecclesiarum & Magistratibus locorum de ea re si-

re fidem facere cogantur; quod paci Gandauensi prorsus est contrarium, secundum quam liberum est omnibus, absque astrictione & professione vnius vel alterius religionis venire, morari, conuersari, recedere & reuerti, & committere administrationem rerum suarum cuilibet pro arbitrio, ita vt verbis, ad angendum intestina dissidia, vulgò specioſa fiat pacis Gandauensis ostentatio, reuera autem in totum beneficium illius subuertatur, reuocatis omnibus ad veterem morem, secundum quem vigebant aduersus quoslibet Inquisitiones, excommunicationes, aggrauationes, reaggrauationes, brachij secularis inuocationes, & similia, quæ rebus & temporibus accommodari nõ possunt, sine immortalibus prouinciarum ac ciuitatum inimicitiis, sine seditionibus & cædibus ciuium, & euidenti reliquiarum, tam religionis quàm auctoritatis discrimine.

Ex quibus perspicuè intelligũt Celsi. & Dign. V. subitaneam illam rerum mutationem Ordinibus nimium esse periculosam, ac proinde necessitatem Reipub. maiorem quandam dictorum articulorum moderationem exigere, longè vltra terminos pacis Gandauensis, ne exemplo superiorum temporum non multò posteà ijsdem vel maioribus agitemur tumultibus, aut cum summo insidiarum periculo moram dumtaxat aliquam his malis producamus.

Et vt ad alia veniamus, omnes vident quantis ambagibus inuoluatur, & in quâ longum tempus differatur innocentis Comitis Burani restitutio ac liberatio, videlicet donec Princeps Auraicus

cus adimpleuerit ea de quibus cum eo transigetur per singularem capitulationem, ad quam propter fidem datam vniuersitati prouinciarum, & post expirationem termini, communi cautione præstituti compertum est Excell. suam nõ posse descendere, quemadmodum intelligimus ipsum Vestris Celsi. & Dign. per litteras respõdisse: Vnde quantum periculi ex dictis articulis & patri & filio, non sine grauissima prouinciarum omnium perturbatione, immineat, facile est discernere.

Illvd quoque animadversionem desiderat, nullam neque pro Regina Angliæ, Duce Alençonio, aliisque confœderatis, imò nec pro ipso Archiduce Matthia idoneam capitulationem illis articulis contineri.

Denique gesta decretaque ipsius Archiducis & Ordinum, in quàm fragilibus relinquantur fundamentis, inuolucra exceptionum additarum ostendent.

Quæ omnia repræsentanda atq. oculis subijcienda duximus, vt Celsi. & Dign. V. causſas malorum nostrorum propius intuerentur, intelligerentq. nec leues, nec improbabiles difficultates circa dictos articulos incidere, præsertim in ista summa animorum exacerbatione & diffidentia, diuersitate capitulationum Principis Parmensis, Ducisque de Terra-noua, atque dubitatione & incertitudine omnium rerum.

Et dum secundum promissa, Parmẽsis Hannonienſibus atque Artesiensibus facta, exercitus Hispanorum intra terminum præstitutum non decesserit, & in prædictis articulis de tempore,

quo abire debeat, nihil determinatè conuenerit, multique non iniustè & ex indiciis non obscuris suspicentur, illorũ propositum ac institutum esse ditiones istas non derelinquere, quodque omnia per simulationem fiant, vt lenocinio pacis subditorum animis erectis, maiores turbas ac seditiones concitent, atque ita viam parent procedendi ad prouinciarum penetralia, cum miserabili omnium seruitute & oppressione.

CVMQVE in mora sit periculum, nec ita celeriter vt rerũ status postulat, suffragia prouinciarum obtineri & conciliari possint; præclarissimum & vniuersæ Reipub. Christianæ vtilissimum studium esset, si Cæs. Maiest. & Celss. & Dign. vestræ auctoritatem suam interponerent, & ex officio propositis idoneis & efficacibus remediis aduersus incommoda superiùs relata, aliaque illis similia Regem Hispaniarum, aut Ducem de Terranoua eius Commissarium, inducerent ad conditiones æquiores, securiores, & statui præsentis Reipub. magis conuenientes, & tales, quæ in vniuerso prosint, & quas reuera tabulas pacificatorias appellare, & æternitati cum omnium securitate consecrare liceat. In quo si (quemadmodum confidimus) Celss. & Dign. vestræ apud Regem operam diligentiamque impenderint, laudem consequentur apud omnes homines immortalem, & Ordines ac prouincias perpetuo obsequendi studio arctioribus vinculis sibi astringent: nos interim non cessabimus prouinciarum vota suffragiaque requirere, ac per primam opportunitatem trãsmittere. Deus pacis auctor Celss. & Dign. V. in

V. in inchoata pace perficienda confirmet, & in felicitate diutissimè conseruet incolumes. Ex Antwerpia 1. Septemb. anno Domini M. D. LXXIX.

Celss. & Dign. vestrarum

Deditissimi Ordines Belgij.

Ad mandatum suprà dictorum Ordinum

J. Houfflin.

RESPONSIO ORDINVM GENERALIVM GERMANIÆ INFERIORIS, *ad propositionem Illustris Domini Seufridi Preiner Baronis in Stubing, & aulici Cæs. Maiest. Consiliarij, & legati, data Antwerpiæ XX. mensis Julij* M. D. LXXVIII.

PRÆLATI, Nobiles ac prouinciarum ciuitatumque Germaniæ inferioris delegati, qui vniuersos Ordines repræsentant, immortales Sacræ Cæs. Maiest. summa cum animi submissione atq. obseruantia agunt gratias, quòd post violatas à Ioanne Austriaco pacis conditiones, secundò legationem huc destinare, & Illustrem Dominum Seyfridum Preiner Baronem in Stubing, & aulicum Maiestatis suæ Consiliarium, legatum ad se mittere dignata sit, qui pro officio & candore suo studioque, quo has ditiones prosequitur, singularem benevolentiam & amorem Sacræ Cæsareæ Maiest. erga istas inferioris Germaniæ prouincias, nec non sinceritatem, curam & solicitudinem pro

salute & tranquillitate ipsarũ ditionum, à Maiest. sua exhibitam, cum lucidenta beneficiorum (quæ nulla vel temporis diuturnitate vel calamitatum magnitudine obliterabuntur) commemoratione clarissimè exposuit.

Et cùm omnia amplissima sint, quæ Sac. Cæs. Maiest. pro salute harum prouinciarum procurauit, tum illud etiam maximi ponderis, & præcipui momenti existimant, quòd sua Maiest. Hispaniarum Regem cohortata est, vt suæ Maiest. rem omnem permitteret, & ab armorum consilio desisteret: deinde quòd Sacri Imperij Principes Electores admonuerit, vt in personis propriis in conuentu Wormatiensi conuenirent, & per seipsos deliberarent de rationibus, quibus tandem hæ prouinciæ in pristinum statum restitui possent, & quid de postulatis vtriusque partis constituendum foret.

Quod verò ad præteritas oblationes attinet, recordantur Ordines, atque in recenti memoria habent, tenorem litterarum & scriptorum, quibus vt Regi Catholico reconciliarentur, vt certam formam Reipub. ac religionis retinerent, ac tranquillam vitam ducerent, professi sunt ante annos aliquot, se neque ab obedientia Maiest. suæ, neque à religione Catholica Romana recessuros, quemadmodum etiam superiori anno post pacem Gandauii initam, & Cæsareæ & Regiæ Maiest. litteris denuò declararunt, se in eadem obedientia ac religione secundùm terminos dictæ pacis permansuros, si reuocato intolerabili Hispanorum aliorumque exterorum imperio, quietè & securè possessiones suas cum vxoribus & liberis retinere possent: Quinetiam post violatas ab Austriaco pacis conditiones, & bello miserabili infestati, & cùm antea sæpè decepti, propter insidiarum periculum ab vlteriori congressu abhorrerent, ne quid intentatum relinquerent, quod ad pacem fulciendam & restaurandam pertineret, Baroni de Selles, Regis Catholici legato, eadem, quæ prius obtulerũt, addita aperta significatione & necessaria protestatione imminentium periculorum, tum in religione, tum in dicta obedientia, si Regia Maiest. differendo pateretur subditorum diffidentiam, & desperationem longiùs procedere: Verùm Maiest. sua nũquam in tempore dignata est humiles supplicationes & lacrymabiles preces suorum subditorum admittere, & exaudire: quinimò quod est miserabilius, pro beneuolo clementíque responso, ab Ordinibus certissimè exspectato, & nouissimè à Domino de Selles constanter affirmato & promisso iustissimas preces Ordinum reiecit, pacta, transactaque Gandauensia sollemniter approbata, irrita fecit, & suos subditos crudelissimo bello aggressus est; remittendo auxilia militaria, vndecumque contracta, ad exequenda turbulenta ac pernicioſa Ioannis Austriaci consilia.

Quo factum est, vt tanta Reipublicæ perturbatio, tantaque malorum (quæ bellum secum trahit) inundatio, cum magna animorum abalienatione secuta sit, vt meritò dubites an priora illa promissa & oblationes (præsertim relatione facta ad tẽpora Caroli Quinti, quæ nunc serò à Maiest. sua vrgentur) hoc periculoso tempore adimplere vel possibile sit, vel etiam expediat: & præterea

cùm Maiest. sua inita pacificationis Gandauensis pacta obseruare detrectet, non omnino mirum videri debet, si subditi vicissim sese à vinculis dictorum pactorũ respectu Regis liberatos existiment.

Et cùm per belli calamitates cura religionis stabiliendæ difficulter retineatur, dolent & ingemiscũt Ordines, labi opportunitatem & tempus, quo commodè remedium adhiberi possit, præsertim inualescente licentia militari, & morum dissolutione, quæ ex progressu funesti belli inducitur, cuius auctoribus, non populo aut Ordinibus irascendum est, quibus in hac rerum peristasi magis ciuium suorum concordiam procurare necesse est, quàm contentione tutandæ religionis Hispanorum insolentiam confirmare, & trophæum contra se ipsos erigere, vt in tanta animorum desperatione & infinita multitudine diuersam religionem sequentium, vrbes eorum exagitatæ, seditionibus & cædibus ab exteris tandẽ diripiantur & euertãtur: adeò enim sui cõpendij cum Ordinum dispendio studiosi sunt aduersarij, vt per religionis abusum prouinciarũ seruitutem & calamitates stabilire conentur; & incitato religionis dissidio, popularibus seditionibus (quas per varias proditiones moliuntur) vires Ordinum debilitent atq. infirment, & tandem absq. discrimine, tam Catholicos, quàm eos qui à Romana Religione discesserunt, minori negotio aggrediantur & opprimant, redintegrata Hispanorum tyrannide, ac intolerabili imperio, secundum pernicioſum consilium Secretarij Escouedo, in quo præcipuam spem & principalem scopum actionum suarum constituunt: ita vt metuendum sit, ne Ordines, inter duo mala constituti, cogantur quali quali remedio ciuium concordiam retinere potius, quàm Rempub. deserere, & exteris instantibus, vitam, vxores, liberos, & possessiones euidenti periculo exponere.

Ex quo fit perspicuum, non Ordinum culpa, sed mora & pernicioſis consiliis, quibus Regia Maiestas imprudenter acquieſcit, omnia in deterius, & quasi ruinam collabi. Quo enim studio, qua sedulitate Ordines superioribus annis (cùm res tempusque ferebant) cum Regis obedientia religionem sartam tectam conseruare conati sunt, Deus inspector animorum nouit & res ipsa, quæ anno sexagesimo sexto gesta est, ante aduentum Albani luculenter testatur; quibus autem calumniis & iniuriis improbissimorum quorundam hominum, præsertim Albani & sequacium suorum, sanguinem subditorum sitientium, Maiest. sua malo quodam fato in transuersum acta, & ab omni clementia abalienata fuerit, cum doloris acerbitate recordantur omnes: vnde enim quietis & tranquillitatis remedia sperabantur, inde maximæ molestiarum & turbulentissimæ tempestates emanarunt.

His itaque consideratis, Sacr. Cæs. Maiest. facilè animaduertit, per Ioannem Austriacum, aliosque malè consulentes, ditiones istas in maiorem confusionem recidere, atque disturbari occasionem exequendarum priorum oblationum, sublata caussa ex qua factæ erant: nam oblationes illæ factæ fuerunt, cùm Ordines sperarent Remp. calami-

calamitatibus liberatum iri, Regem pernicioſis conſiliis abiectis; à bello abſtenturum, Ordines conuenturos, vt de cõmuni vniuerſæ Reipub. bono communicarent, quæ neque ad humiles preces ſubditorum, neque ad frequentes & ſerias Imp. Maieſt. aliorumque Principum interceſſiones obtineri potuerunt, culpa eorum qui improbè, temerè, imprudenter, ferociter & inhumaniter in his rebus verſati ſunt, & ſtatum politicum omnimodo perturbarunt; quibus propterea omnia imputanda ſunt.

QVEMADMODVM etiam mirum videri nõ debet, ſi in hoc rerum ſtatu ſubditi Regem non tam religioſè venerentur, à quo bello grauiſſimo prouinciæ impetuntur, & maioribus cladibus afficiuntur, quàm vnquam à maximo inimico pertulerunt. Etenim defenſio iuris naturalis eſt, & ſi vaſallo ob negatam iuſtitiam licet dominum deprædari, & inter dominum & ſubditum mutuâ ſit obligatio; nullum vituperium Ordinibus adſcribendum eſt, ſi poſt obtentam erga Principes ſuos fidei & conſtantiæ laudem, malè tractati, pro defenſione libertatis & vitæ, aduerſus eum arma ſumant, à quo armis & bello inuaduntur.

ET cùm omnes eorum beneficiorum maximè meminiſſe ſoleant, quæ in calamitatibus acceperunt, ſumma eſt occaſio, qua Cæſ. Maieſt. & Principes Sacri Imperij benemereri poſſunt de ditionibus Belgicis; & ſimul nõ minus ſibiipſis, quàm illis prodeſſe, ſi miſſis ſuppetiis militaribus, afflictos Belgas, vicinos & membra ſacri Imperij, aduerſus exterorum vim atque ferociam prompte tueantur, atque illos qui inferiorem Germaniam oppugnant, & Illuſtriſſimum Archiducem Matthiam Cæſ. Maieſt. germanum fratrem, illarum prouinciarum moderatiſſimũ gubernatorem, cum ignominia tum ipſius, tum ipſorum Ordinum deturbare conantur, ab armis deterreant, tutelam atque protectionem Belgicarum ditionum ſuſcipiant, quæ promptiſſima ratio conſeruandi Imperij Belgici, vel Regi Catholico, vel domui Auſtriacæ, antequam deſerti Ordines de exteri principis auxiliis certiora concludant conſilia.

QVÆ quidem conſilia, de exteri principis auxiliis, non ignorant ſuis incommodis non carere; tamen eiuſmodi ſunt quæ eos præſenti calamitate & belli metu poſſunt liberare: quod vtinam Cæſ. Maieſt. & ſacri Imperij Principes etiam ſibi faciendum propoſuiſſent, hoc eſt, prouincias impetio confœderatas, & quarum ruina magnam imperij partem inimicis patefaciet, præſenti auxilio confirmare potius, quàm Commiſſariis rem gerere. Nam etſi non dubitent Maieſt. Cæſ. ſedulò procurare ea quæ exiſtimat facere ad pacem, his prouinciis reſtituendam; tamen cùm re ipſa Ordines experiantur, quàm parum ſpei ſit ponẽdum in rebus adeò incertis, & in voluntate inimicorum poſitis, humiliter orant ſuam Maieſt. vt ignoſcat Ordinibus, quòd in iis ſuæ Maieſt. conſilio & voluntati obſequi minus poſſunt: Nam cùm etiamnum incertum ſit Ioannes Auſtriacus quantum ſuæ Maieſt. tribuat, & quid de ceſſatione ab armis & reliquis mandatis ſuæ Maieſt. facturus ſit; facilè putant intelligi poſſe, quàm non conueniens

niens neq. consultum sit de indutiis & armorum suspensione mentem & voluntatem declarare: sed cùm ab initio Ordines semper Pacificationi non insidiosè operam dederint, & nihil aliud desiderent, quàm conseruata patriæ libertate, in pace viuere, apertè profitentur Ordines sese pacis tractationem minimè reiicere, sed eam summoperè desiderare, quæ tot ærumnarum & calamitatum, quæ proueniunt ex bello, omnium malorum larua, promptam leuationem adferre posset. Quamobrem non potest non Ordinibus esse gratissimum, quòd iterum sua Maiest. Commissarios Cæs. præcipuæ auctoritatis ac neutri parti suspectos, ad sese destinauerit, quódque pacis tractationem per Oratorem suum apud Regiam Maiest. in Hispaniis etiamnum prosequatur, & omni maiori studio vrgeat: qua in re solicitudinem & curam, quam sua Cæs. Maiest. suscepit, & nec intermissuram sperant, pro prouinciarum salute humiliter agnoscunt, indies magis ac magis se suæ Cæs. Maiest. pro tam immensis beneficiis obligatos confitentur; id vnum postulant, vt veniam det, si nihilominus interea suæ securitati prospectum velint, ita tamen, vt iura inclytæ Austriacæ domus, & fœdera à prouinciis cum sacro Imperio inita, quantum fieri poterit, conseruentur; quæ sanè vt neque Regis Hispaniarum auctoritatem, si tandem ad subditorum supplicationes & preces adhibeat æquas aures, nullo modo imminui patientur.

Et cùm ex his quæ dicta sunt, & quæ Legatus coràm suis oculis animaduertere potuit, Illustri

stri Cæs. Ma. Legato satis quàm æquum & iustum sit, desiderium Ordinũ constare possit, hoc vnum petunt & rogant Ordines, vt Legatus fideliter suæ Cæs. Maiest. exponat, quæ ad salutem & conseruationem prouinciarum inferioris Germaniæ pertinebunt: & quòd in eam rem operam diligentem pollicetur, summas agunt gratias, quas referre Ordines parati sunt.

LITTERÆ ORDINVM AD DVCEM DE TERRA-NOVA.

Ex lingua Gallica in Latinam translata.

Domino, Domino Duci Terra-nouano, Catholici Hispaniarum Regis Commissario, Coloniæ.

Domine, Accepimus epistolam tuam, v. Augusti scriptam, comitem illius quam nobis scribũt Domini Principes Electores & Commissarij Cæs. Maiest. quibus tum tua Excell. tum illi nos hortantur ad recipiendum & amplectendum articulos pacis huc missos. Equidem optassemus maturiùs nos respondisse, tam tibi quàm illis: sed quia pro rei magnitudine oportebat omnia communicari cum prouinciis particularibus, ad intelligendum eorum suffragia, & intentiones; non potuimus finalem resolutionem capere, quia propter diuersitatem prouinciarum, & multitudinem opinionum dicta suffragia sunt retardata, atque ita ea adhuc expectamus: statim autem vt acceperimus, non differemus officio nostro satisfacere, ac respondere, quemadmodum Regiæ Maiest. honori, Belgij nostri bono & tranquillitati maxi-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОДУВС І.І. МЕЧНИКОВА

maximè expediet. Interea volumus tibi liberè indicare seductiones vel coitiones Principis Parmensis aliasque negotiationes particulares maioris diffidentiæ causſam esſe, magnaque repagula & impedimenta determinationi & vtilitati publicæ inijcere.

Et quanquam confidimus tuam Excell. ac dictos Principes hactenus processiſſe, ac procedere bona fide, & integra affectione erga ſuam Maieſt. & has afflictiſſimas ditiones: metuimus tamen vt per dictos articulos, ea forma qua concepti ſunt, malum tamdiu radicatum poſſit curari, dictæque prouinciæ ſincerè reconciliari ſuæ Maieſt. tam propter impoſſibilitatem efficiendi, & executioni mandandi quoſdam ex dictis articulis, ſine maiori diſſenſione inteſtina & laniena ſubditorum, quàm propter plurimas reſtrictiones & obſcuritates, quæ in iiſdem articulis reperiuntur; deniq; propter diuerſitatem tractatuum tuæ Excell. ac Principis Parmenſis, aliaſque rationes, quas amplius ſcribimus dictis Principibus: Confirmantes nos nihil amplius deſiderare, quàm Dominũ noſtrum & Principem recognoſcere, & noſtras perſonas, vxores, liberos ac facultates in quiete ac tranquillitate conſtituere, modò ea ſit forma durabilis, & capitulatione tuta, idque per condiciones clariores, & tali beneuolentia & rotunditate refertas, quæ poſſint reipſa auferre omnem diffidentiam, vnde promanat omnis ſiniſter intellectus inter ſuam Maieſt. & ſubditos.

Et quoniam vlteriores moræ ſunt periculoſæ, & quod verendum eſt, ne in hac rerum perplexitate

tate aliquid temporis adhuc elabatur, antequam particulares prouinciæ concluſerint & ſuffragiis inter ſe conuenerint: hac occaſione & propter alias graues cauſſas rogamus, vt placeat T. Excell. virtute poteſtatis ſuæ, cum auxilio & conſilio dictorum Dominorum Principum latiùs ſeſe dilatare, & dictos articulos temperare oblationibus & condicionibus verè regiis, æquioribus & magis practicabilibus, iis potiſſimùm locis vbi occaſione turbarum, dilationum ac protractionum res eò reductæ ſunt, vt impoſſibile ſit vno tempore eas reſtituere, vel per pactionem vel per vim: Hoc addito, ſi dictæ dilationes, negotiationes & tractationes particulares continuentur, timemus dictam diffidentiam incrementum accepturam, & ſuam Maieſtatem grauius damnum quàm lucrum facturam: quod tamen lucrum nonnulli captant & ſperant ex ſeparationibus & tractatibus ſupradictis. Quod reſtat, declaramus ſi Regiæ Maieſtati placeat ſuis ſubditis reipſa obuiam ire, vera quadam clementia, plenaque menſura, per remedia conuenientia, iuxta magnitudinem vulneris, quòd ita nos præſtabimus, in omni æquitate & obedientia, cum tali amore & affectu, ex quibus in perpetuum poterit ſecuritatem concipere. His, Domine, Creatorem precamur, vt tuam Excell. ſua protectione conſeruet. Antuerpia x. Septemb. M. D. LXXIX.

Tuæ Excellentiæ quamofficioſiſſimè addicti Ordines generales Belgij.

Mandato dictorum Ordinum

I. Houfflin.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМ. І. МЕЧНИКОВА

VIII. Octobris Domini Commissarij litteras Imp. quæ Ordinibus Belgij scriptæ erant, vnà cum binis litteris, quas ipsimet ad Ordines dabãt, legatis eorũdem Ordinum, vt per eos ad ipsos procurarentur, transmittebant: At cùm Legati dubitarent, num fortè litteræ illæ responsum cõtinerent, ad eas Ordinũ littetas quas ipsi diebus præteritis exhibuissent, visum illis fuit exempla earum postulare, vnà cum exemplo illarum quas iam antè secundò se ad Ordines scripsisse, Celss. & Dign. eorum xxviij. Sept. referebant, vt ex iis cognoscerent, quid porrò sibi iuxta præscriptum, quod vltimis litteris ab Ordinibus accepissent, faciendum incumberet.

EODEM die Dux Arschotanus reliquis Legatis ostendit litteras quas ciuitas Valencenæ ad Dominos Commissarios, & ad Ducem de Terranoua perscripsisset; item responsum quod vicissim illi ad easdem litteras prædictæ ciuitati dedissent. Has litteras vnà cum articulis, quorum in illis mentio fit, propter historiam subiungere quoque placuit.

SEQVENTI X. Octob. binarum vltimarum litterarum, sed non secundarum, exempla Legati Ordinum à Dominis Commissariis acceperunt. At cùm in iis viderent nihil Ordinibus ad litteras eorum responsum esse, ea quæ subiecto scripto continentur, audientia impetrata, ore proposuerunt; deinde ad petitionem subdelegatorum in scriptis (ipsi enim Domini Commissarij præsentes non erant) exhibuerunt. Sequuntur prædictæ litteræ.

LITTE-

LITTERÆ DOMINORVM COMMISSARIORVM AD ORDINES GENERALES.

Sacræ Cæs. Maiest. ad negotium pacificationis Belgicæ deputati Commissarij.

Illustres, Reuerendi, Generosi, Nobiles & prudentes.

POSTEAQVAM Cæs. Maiest. Domino nostro clementissimo placuit, nobis in hoc Belgicæ pacificationis negotio vices suæ Maiestatis committere, simusque à sua Maiest. moniti & iussi, huc Coloniam, ciuitatem vobis vicinam, tantæque tractationi commodissimam, ad Dominicam Lætare huius anni labentis nos conferre; simul etiam significatum, eundem terminum & locum vtrique parti à sua Maiest. præfixum & constitutum fuisse, quantum in nobis fuit, & voluntati suæ Maiest. vti æquum est, parêre, & partium expectationi satisfacere desiderãtes, omnibus nostris & ditionum nostrarũ negotiis sepositis, paucis diebus post dictum à S. Maiest. diem nos huc omnes contulimus, vestros legatos, quos magis tempestiuè adesse conueniebat, per mensem integrum patienter expectauimus; re deinde cœpta, non leuem moram negotio peperit, quòd eos qui nomine vestro aderant, sufficienti Mandato, eodemque ad sex tantùm septimanas restricto, carere compertum; cuius defectus, & quidem substantialis, neq. in hunc vsque diem, ad crebriores tam diligẽtes & serias nostras monitiones, à vobis suppletus fuit, nec tẽporis prorogatio impetrari potuit,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ ГРОБА

quod ipsum Regium Mandatarium statim ab initio dubium reddere, nobis etiam voluntatis vestræ magnum scrupulum iniicere potuisset. Nihilominus tamen temporis lucrum affectantes, & causam, quantum ad nos spectat, promouere studentes, de pleniori vestro Mandato confisi, cum partibus tractationem iniuimus, eademque spe Regium Mandatarium hucusque suspensum tenuimus: partium deinde propositionibus & allegationibus auditis, iis quoque quæ antea inter vosmetipsos inita & conuenta fuere, diligenter perpẽsis, capita quædam pacificationis xviij. mensis Iulij proposita sunt, per quæ cùm vobis omnes offensæ condonentur iniuriæ, damna, impensæ, vectigalia, præterea & onera horum rumorum & tumultuum caussa inuecta tollantur, obliuionique omnia tradantur, & vos Regi Catholico vestro principi & legitimo magistratui, omni rigore sublato, plenissimè reconciliemini, & pristinæ tranquillitati & quieti restituamini; vobis denique patriæque vestræ tota Regis offeratur benignitas & mansuetudo, eademque ferè omnia ampliora & mitiora quoq. quàm quæ proximis annis horum tumultuum caussa à vobismetipsis in pace Gandauensi, & Vnione generali subsecuta, constituta, promissa, solléniter iurata, postea in Edicto perpetuo denuò renouata & confirmata fuere, largiantur; Omnino nobis persuasum erat, maximè cùm has tã luculentas, honestas & tolerabiles sanè conditiones Cæs. Maiest. suis sacris monitionibus plurimum commendare videbatur, vobis easdem non posse esse nisi gratissimas, vestram propterea declara-

declarationẽ beneuolam & obsequiosam magno desiderio in tertium vsque mensem nunc expectauimus, & ne in aliquo nostro decessemus officio, si fortè dictæ cõdiciones vobis debito tempore non fuissent redditę, vel fortè in via deperditæ aut suppressæ, quinta die Augusti ad vos, & particulares prouincias, primariasque ciuitates eosdem articulos cum litteris nostris, quæ diligenter omnia præsertim vestram eiusque tam opportunã assequendæ ad animum vobis reuocarent, transmisimus: vestros etiam deputatos præsentes sæpius de maturanda & accelerãda resolutione assiduè moneri fecimus. Tertia denique vice ad prouincias particulares & ciuitates alias in eundem effectum xxix. mensis Augusti dedimus litteras; ad quas soli ciues Buscoducenses pacis cupidos, iisdemque condicionibus contentos sese nuper declararunt. Et quamuis aliæ quædã prouinciæ & ciuitates nobis significarint, quòd ad Illustrissimũ Principem Dominum Matthiam Archiducem Austriæ &c. amicum nostrum singularem, Dominumque gratiosissimum, & Status generales Antuerpiæ congregatos, resolutiones suas miserint; nihil tamen certi de iis ad nos præter omnem expectationẽ hactenus relatum est. Spem autem nostram & eorum omnium qui iam bonam de pace constituenda opinionem conceperant, non parum minuerũt litteræ quas his diebus à deputatis Ordinum Ducatus Brabantiæ, Antuerpię congregatis (à quibus non minima totius huius negotiationis auctoritas dependere existimatur) de dato vj. Id. Septemb. accepimus, quibus negotium hoc, no-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

ſtra quidem opinione, fermè completum, aliqua ex parte tantùmodo cœptum putant, & has conditiones totas repudiare, aliamque omnino pacis conficiendæ rationem poſtulare videntur.

CVM igitur etiamnum ad tam frequentes noſtros hortatus & monitiones nihil certi nobis per vos reſponſum ſit, graue admodum nobis eſſe cœpit, cum tanti temporis diſpendio ſumptuum grauiſſimorum prouiſione Maieſtatis Imperialis noſtroque neglectu, diutiùs hîc immorari, his vobis ſignificare voluimus, nos abitum omnino parare. Ne autem aliquam culpam in nos referendi prætendere poſſitis occaſionem, vobis vltimum hunc terminum peremptorium conſtituimus & aſſignamus, vt categoricè, clarè & apertè veſtrorum animorum conceptum intra xviij. diem menſis Octobris, proximè ſequentis, huc mittatis, & an articulos propoſitos, & iampridem tranſmiſſos, acceptare velitis, reſcribatis: quò nos laborum, faſtidiorum & ſumptuum minus pœniteat, tantoque meliùs & citiùs totum hoc negotium confici poſſit. Sin verò vel media propoſita repudiaueritis, vel nihil ad ea intra terminum præfixũ reſponderitis (cùm vix aliud noſtro iudicio à quouis magiſtratu, per bene affectos ſubditos, honeſtè peti poſſit) abſque omni vlteriori cunctatione, nullaque alia à nobis expectanda tractatione, nos, hoc conuentu ſoluto, hinc diſceſſuros vos certiores reddimus; cùm inſuper etiam propter indies magis ingraueſcentem peſtis contagionem, quæ etiam familiares noſtros iam inuaſit, hîc diutiùs moram trahere non poſſimus. Neque etiam hic terminus nimis

nimis anguſtus cenſeri poteſt, cùm proximis iam aliquot annis pleraque omnia tractata, diſcuſſa, ventilata, interim ſæpius repetita, & ruminata, compoſita, deciſa & iurata fuerint, Imperatori iam antea relata, earumque occaſione huius tractationis commiſſio iterum impetrata, à ſua Maieſt. dies vobis maturè ſatis dictus, tanto nunc tempore coram nobis hæc negotia agitata, tertius iam cedat menſis, quo pacis condiciones veſtris Legatis ſint exhibitæ, neque miles Regius, neque aliud quidquam vobis impedimento eſſe potuerit, quo minus conuenire ſecureque de rebus veſtris agere potueritis: Imò & vos iam antea congregatos, interim quoq. particulares prouinciarum conuentus habitos eſſe, partim ex Ordinum ducatus Barbantiæ, partim ex aliarum quarundam prouinciarum & ciuitatum ſcriptis intellexerimus, neque de rebus vobis ignotis vel obſcurioribus agendum fuerit, ſed plerumque omnia in factis veſtris propriis ſint poſita, & à veſtra omnino pendeant voluntate: Populum etiam continuis his calamitatibus attritum, nihil niſi feruentiſſimis deſideriis & ſuſpiriis pacem exoptare cõſtet, quam tanto faciliùs vobis, quanto populum propenſiorem & Regem principem veſtrum benigniorem experimini, parare poteſtis, modò veſtra auctoritate, quod facillimè præſtare poteritis, & vos facturos omnino confidimus, errantem populum in viam manſuetudinis reducere velitis. Vos veſtraque conſilia diuinæ clementiæ commendamus, & quæcunque beneuolentiæ officia in poſterum quoque de nobis omnibus & ſingulis ſperare iu-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОГЮ ім. І. Франка

bemus. Dat. Coloniæ XXVI. mensis Septembr. anno Dominicæ incarnationis &c. LXXIX.

Statuum generalium Belgij Deputatis, Antwerpiæ congregatis.

ALTERÆ LITTERÆ DOMINORVM COMMISSARIORVM AD ORDINES GENERALES.

Sacræ Cæs. Maiestatis ad negotium pacificationis Belgicæ deputati Commissarii.

Illustres, Reuerendi, Generosi, Nobiles & Circumspecti.

LITTERAS vestras X. Septemb. Antwerpiæ datas, xxvij. eiusdem, postquam litteræ nostræ his adiunctæ scriptæ, signatæ, & tabellario tradendæ essent, à legatis vestris accepimus, vtque, post moram tam diuturnam, nihil aliud à vobis & prouinciis Belgicis, quàm certum responsum, & mediorum propositorum acceptationem auidè expectauimus; ita ex litteris vestris nihil minus quàm certam Belgicarum prouinciarum resolutionē & desideratam acceptationem colligere potuimus, sed potius prouinciarum responsum in aliam, nescimus quam, opportunitatem reiectum, & interim non pauca propositorum mediorum, & præcedentium transactionum capita, pleniſſimo stylo in dubium reuocata, & pleraque sinistrè interpretata, omnemque ferè spem pacis conciliandæ nobis

bis ablatam esse intelleximus. Quanquam autem ea quæ in litteris vestris comprehensa sunt, bonis & firmis rationibus impugnari & elidi possent; tamen nec operæpretium, nec nostrarū partium esse arbitramur, tam amplum nouæ disputationis vel altercationis campum ingredi, vel noua media, quasi hactenus nihil actum esset, proponere, nouamq. tractationem æquè incerto euentu inchoare. Cùm igitur nec à Regio Mandatario intelligere potuerimus, quod amplius, quàm in mediis propositis & transmissis comprehensum est, concedere velit, nec nostra nostrorumq. subditorum negotia admittant, nos hîc diutius immorari, non possumus non adiunctis nostris litteris inhærere, ita tamen, vt terminum in iisdem expressum, vsq. ad vltimum diem præsentis mensis Octobris prorogemus: infra quem terminum, si certam resolutionem prouinciarum Belgicarum, & acceptationem mediorum propositorū non acceperimus, tractationi huic finem imposituri, Sac. Cæs. Maiestati omnia fideliter relaturi, & sine vlteriori mora hinc discessuri sumus: Sin verò prouinciæ Belgicæ infra eundem terminum dicta media acceptauerint, nobisque id per litteras significarint, suisq. Legatis Mandatum ad hanc pacificationem confirmandam & stabiliendam necessarium miserint, vt vos semotis quibuscumque affectibus, & diffidentia omni sepositā, promoturos confidimus, nos rursus tam diligenter & sedulò cum Regio Mandatario Duce de Terranoua, Legatisq. vestris de cōfirmatione & inuiolabili obseruatione eiusdem pacificationis agemus, & quicquid ad eam

HAGUE BIBLIOTHEEK OUD MINISTERIE

rem neceſſarium videbitur, ea dexteritate promouebimus, vt non dubitemus, inſidias vel ſuſpiciones illas de quibus mentionem facitis, nullum hîc locum habituras. Interim vobis quæcumq. beneuolentiæ officia offerimus. Datum Coloniæ III. die menſis Octobris, anno M. D. LXXIX.

Statibus generalibus Belgij
Antwerpiæ congregatis.

Ex lingua Gallica in Latinã tranſlata.

LITTERÆ CIVITATIS VALENCENENSIS, AD DOMINOS COMMISSARIOS.

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimiq; Electores, & Principes ſacri Imperij, Generoſi, Nobiles & potentes Domini, Commiſſarii S. Cæſ. Maieſtatis.

DVM hîc occupati ſumus, ad deliberandum ſuper articulis pacis & reconciliationis, quos Excell. & Dign. veſtræ, Catholicæ Regiæ Maieſtatis nomine, propoſuerunt deputatis Ordinum generalium Antwerpiæ congregatis, quoſque iidem Deputati ad nos miſerunt XV. huius menſis, in hoc oppido redditæ nobis fuerunt litteræ veſtræ, vnæ datæ quinta Auguſti, & alteræ XXIX. eiuſdem menſis, vnà cum articulis pacis, & adiunctis litteris Illuſtriſſimi Domini Ducis Terranouenſis; quibus nobis iniungitis, vt quamprimùm reſolutionem ſuper illis articulis capiamus, & eam ad Excell. & Dignit. veſtras Coloniam mittamus, quemadmodum illis litteris pleniùs continetur.

Quibus

Quibus vt ſatisfaciamus, dignabimini intelligere, quòd ex noſtra parte in hoc oppido ſemper ſecuti ſumus, obſeruauimus & retinuimus pacificationem Gandaui factam, Vnionem poſtea ſecutam, atque Edictum perpetuum, in omnibus eorum punctis; nihil magis cordi habentes, quàm viuere in bona pace, quiete, tranquillitate, & omni bona deuotione ac obedientia erga ſuam regiam Maieſtatem, noſtrum Principem naturalem & ſupremum Dominum. Et quoniam ſua Maieſt. Catholica dictis articulis promittit manutenere, & obſeruari facere dictam pacificationem Gandauenſem, Vnionem & Edictum perpetuum, in omnibus ſuis punctis, prout etiam priuilegia, vſus & conſuetudines cuiuſlibet prouinciæ ac ciuitatis, facere recedere Hiſpanos, & alios milites exteros, multaque alia capita, dictis articulis fuſiùs commemorata: numquam ſatis magnas gratias agere poſſemus ſuæ Maieſtati, pro hac clementia, fauore & amore, quo proſequitur ſuas ditiones & ſubditos, ac Excell. & Dign. V. pro labore & moleſtia, quæ hac de cauſſa ſuſceperunt, ad procurandum commodum & quietem harum ditionum. quo nomine in perpetuum nos deuinctos vobis agnoſcimus. Quia verò nonnullam diuerſitatem cõperimus inter eoſdem articulos, & eos quos ſua Maieſtas concluſit cum Arteſio, Hannonia, aliiſq. prouinciis confœderatis, nobis expedire videretur (ſub humili tamen reuerentia & correctione) pro meliori & ſecuriori pace & vnione prouinciarum, vt Sacr. Cæſar. Maieſt. Excell. & Dignitat. V. dignentur id efficere, vt ea diuerſitas tollatur,

iidemque

HAVRÓBA BIBLIOTEKA OBJ. M.I.P. MEDICORA

iidemque articuli in vnam conformitatem redigantur: Possuntque Excell. & Dign. V. certò sibi persuadere, nos nihil magis desiderare, quàm pacem & reconciliationem cum sua Maiestate, Principe nostro naturali & supremo Domino, amplecti, illique omnem debitam obedientiam exhibere. Quia verò hoc oppidum vndique circumclauditur ditione Hannonienſi, contiguumq. est Artesio, Insulis, Duaco & Orchiaco confœderatis, ac ciues dicti oppidi præcipua sua bona & reditus annuos habeant in dictis prouinciis reconciliatis, & ex eadem ditione Hannonienſi nobis ordinaria annona subministretur, & aliæ annonæ ac merces, aliunde aduenientes, non possint ad nos venire, nisi transitum faciant per dictam Hannoniam; & quia propterea est cum primis vtile opus & necessarium, pro commodo & conseruatione huius oppidi, conseruare bonam vicinitatem & amicitiam cum eadē Hannonia; hoc addito, quòd præfati omnes articuli, tam vni quàm alteri, videntur tendere ad vnum eundemq. finem & scopum, nempe, subditos harum ditionum recipere in reconciliationem cum sua Maiest. suo Principe naturali & supremo Domino: firmam spem ac fiduciam concepimus, quòd Excell. & Dign. V. ex his satis clarè nostrum desiderium & bonam intentionem intelligentes, arbitrabuntur sibi à nobis factum satis esse; neque ægrè ferent si temporis spatio vtamur, ad capiendum maturum cōsilium, & postea resoluendum, suo tempore & loco amplecti eandem pacem & reconciliationem, quæ iam inita & publicata est ab Artesiensibus, Hannonien-

nonienſibus & confœderatis vicinis nostris, tempore & loco per dictam tractationem dato & præscripto nobis, aliisque omnibus prouinciis & ciuitatibus, ad eam acceptandam. Quo tempore pendente speramus etiam videre effectus rerum ibi promissarum & concordatarum.

Reverendissimi, Illustrissimique Principes & Electores sacri Imperij, Generosi, Nobiles & Potentes Domini Commissarij Sacr. Cæs. Maiest. rogamus Deum, vt vobis sua beneficia cōferre pergat, & largiri impletionem vestrorum nobilium & piorum votorum cum omni felicitate. Valencenis XIX. Septemb. M. D. LXXIX.

Humillimi & morigeri seruitores, Præpositus, Iurati, Scabini, Concilium, Corpus & Communitas oppidi Valencenensis.

LITTERÆ EIVSDEM CIVITATIS AD DVCEM DE TERRANOVA.

Domino, Domino Duci de Terranoua, Principi Castelvetrani, &c. Regiæ Catholicæ Maiest. Commissario, Domino nostro, Coloniæ.

Domine, XV. huius mensis accepimus tuæ Excell. litteras, datas XIX. Augusti, comites litterarum dominorum Legatorum & Commissariorum Sac. Cæs. Maiest. vnà cum articulis ex parte suæ Maiest. Catholicæ oblatis, ad constituendam pacem & reconciliationem cum his ditionibus; super quibus tua Excell. nos monet & hortatur,

tatur, quamprimùm & intra tres hebdomadas mittere noſtram reſolutionem. Itaque omnibus bene intellectis & examinatis, ac communicatione habita cum noſtro Concilio, reſpondemus nos perquàm humiliter gratias agere ſuæ Maieſtati Catholicæ pro ſua gratia, fauore atque etiam cura & affectione paterna, quam demonſtrat ſe habere & gerere erga bonos ſuos ſubditos, ac ſimul etiam tuæ Excell. & dictis dominis Legatis pro labore & moleſtia, quæ dignati ſunt ſumere, & in iis perſeuerare multos menſes, ad tractandũ iſtud reconciliationis negotium, pro vtilitate & quiete harum ditionum. In primis verò quòd ſingulariter habuerint memoriam huius oppidi & prouinciæ. Quæ cùm ſemper ſeſe bene & pacificè geſſerit, iuxta pacificationem Gandauẽſem, Vnionem & Edictum perpetuum, contra quæ nihil attentauit aut vſurpauit, nihil etiam magis in votis habet poſt tãta mala & calamitates illatas, per mutationes & bella præterita, quàm obuiis vlnis ſemel amplecti pacem ſecuram ac perpetuã reconciliationem cum ſua Maieſt. Catholica, noſtro ſupremo Domino & Principe naturali, vt ipſi reddamus omnem debitam obedientiam. Ad quem finem conſequendum, dicti Domini Legati miſerunt ad nos dictos articulos conceptos & propoſitos in ciuitate Colonienſi, quos inuenimus rationi & æquitati perquàm conſonos. Cererùm quia ab aliquot diebus prouinciæ Arteſij, Hannoniæ, Inſulæ, Duacum & Orchiacum, Mechlinia ac aliqua oppida particularia conuenerunt, receperunt, atque adeò publicarunt alios pacificatorios articulos,

los, quibus iam abſolutè reconciliationem cum Rege Catholico inierunt; & quia ab omnibus partibus ſumus vicini dictis prouinciis reconciliatis, & quod magis eſt, purè & plenè circumcluſi dicta prouincia Hannonienſi, quodque propterea noſtra intereſt, pro vtilitate & cõſeruatione huius oppidi, retinere amicitiam, bonam vicinitatem & ſocietatem cũ noſtris vicinis: hoc addito, quòd omnes ſuprà memorati articuli, tam vni quàm alteri, videntur tendere ad vnum eundemque finem & ſcopum, qui eſt in ſumma, vt ſubditi Belgij ineant reconciliationem cum ſua Maieſt. firmam ſpem & confidentiam concepimus, quòd tua Excell. & dicti domini Legati ac Commiſſarij Imperiales hinc ſatis clarè noſtram voluntatem & bonam intentionem intelligentes, habebunt de nobis ſatisfactionem; neque ægrè ferent, ſi ſpatium temporis acceptemus quo maturè conſultemus, & poſtea deliberemus amplecti eandem pacem & reconciliationem modò factam & publicatam à noſtris vicinis, quos habemus hîc noſtris portis contiguos. Idq. opportuno tempore & loco & intra terminum, qui tam nobis quàm aliis prouinciis ac ciuitatibus in dicto tractatu eſt præfixus, ad amplectendam eandem pacem & vſurpandum eundem fructum & beneficium. Quo tempore pendente, ſperabimus etiam videre effecta rerum ibi promiſſarum & concordatarum. In quam ſententiam ſcribimus etiam præfatis dominis Legatis & Commiſſariis Cæſ. Maieſt.

DOMINE, poſt noſtri humillimam commendationem Deum precamur, vt tuam Excell.

in vitæ

HAVRORA BIBLIOTEKA OFJ. IM. I. MICHNIKOWA

in vitæ felicitate & prosperitate conseruet. Valencenis XIX. Septemb. M. D. LXXIX.

Tuæ Excell. humiles & addicti seruitores Præpositus, Iurati, Scabini, Concilium, Corpus & Communitas oppidi Valencenensis.

Ex lingua Gallica in Latinam translati.

ARTICVLI PACIS ET RECONCILIATIONIS STATVVM ARTESIÆ, HANNONIÆ, *Insularum, &c. cum Hispaniarum Rege Catholico, publicati Montibus Hannoniæ,* XIII. *Septembris* M. D. LXXIX.

I.

PRINCIPIO decernimus, vti tractatus Pacificationis Gandauensis, Vnio, Edictum perpetuum & ratificatio ex nostra parte subsecuta, maneant in sua vi & pleno robore, vtque re ipsa in omnibus suis punctis & articulis effectui mandentur.

II.

ET vt meliùs restituatur confidentia nostrorum subditorum, & mutetur in bonam vnionem & concordiam, ad honorem Dei, conseruationem religionis Catholicæ Apostolicæ Romanæ, obedientiam nobis debitam, simul etiam pro vtilitate & trãquillitate nostrarum ditionum, concessimus, & concedimus, obliuionem perpetuam ab vtraq. parte, omnium eorum quæ possunt esse dicta vel facta, quocunq. modo, ratione aut casu, à tempore primorum motuum & illorum causa: ita vt nulli iudici, aut procuratori fisci, nec alijs liceat deinceps

deinceps vlli ea exprobrare, aut in aliquem ob ea inquirere, non magis quàm si numquam accidissent; ordinando, vt in hunc finem omnes sententiæ, decreta & arresta pronunciata, tam in his ditionibus quàm quibuscunque aliis, quæ sub nostra iurisdictione sitæ sunt, causa motuum præteritorum, aboleantur & extinguantur radicitùs ex Regiſtris, ad exonerationem absolutionemque omnium eorum qui adhæserint vni aut alteri parti contrahenti. Ad quem finem interdiximus & inhibuimus, interdicimus & inhibemus omnibus indifferenter, cuiuscunque gradus, qualitatis aut condicionis, ne quid exprobrent sibi mutuò occasione præteritorum. In qua tamen obliuione non sunt comprehensi communes inimici nostri, & dictarum reconciliatarum prouinciarum banniti, relegati vel in ius vocati, quòd conspirauerint in aliquam ciuitatem.

III.

RATVM quoq. habuimus, ratumque habemus, quicquid in dictis prouinciis reconciliatis prouisum, collatum & concessum est à fratre & nepote nostro Archiduce Matthia, Ordinibus & Concilio Status, quousq. scilicet potestas ordinaria nostrorum Gubernatorũ & locum tenentium generalium in Belgio nostro sese in hunc diem extendit. Et quantum ad prouisiones, nobis specialiter reseruatas, ad instãtem requisitionem & supplicationem dictorum Statuum, eas similiter confirmauimus, & confirmamus pro hac vice, nisi nobis constiterit personas eas quibus prouisio facta est, non esse catholicas & vt decet qualificatas, ad

HAVKOBA BIBLIOTEKA OHV IM. I. FRANKA

obtinendum dictas prouisiones, & munera exercendum; ea tamen lege, nisi repugnet pacificationi Gãdauensi, Vnioni, Edicto perpetuo, iuribus, priuilegiis & libertatibus prouinciarũ, tam in genere quàm in specie, reseruatis nihilominus omnibus prouisionibus, quæ fortè factæ fuerint à xvij. die Maij, vltimò elapso, quæ habebuntur pro nullis, non comprehensis etiam prouisionibus Conciliorum Status secreti & financiarum.

IIII.

NEQVE inquiremus, vel inquiri curabimus, in quenquam ob demolitionem arcium & fortalitiorum, eæque arces & fortalitia non poterunt in prouinciis reconciliatis denuò ædificari, aut noua erigi, sine expresso consensu Statuum cuiuscunq. prouinciæ specialiter.

V.

ITEM concedimus, statuimus & ordinamus, vt omnes & singuli nostri milites, Hispani, Itali, Albani, Burgundiones & alij quicunque extranei, non grati Statibus, hunc præsentem tractatum acceptantibus, discedant ex nostris inferioribus ditionibus, siue Belgio, præsertim ex ducatu Lucemburgico, intra sex hebdomadas, proximas ab horum publicatione, aut citius, si corpus exercitus, de quo infrà dicetur, prius confici & erigi poterit, & quæ ad discessum eorũ requiruntur, prius parata sint. Certè vt in omnem euentum discedant intra dictas sex hebdomadas, (quandoquidem dicti Status promiserunt nobis diligentissimè, cũ delegatis nostris sine fraude curaturos, vti dictus exercitus paratus sit in diem discessui exterorũ præfinitum,

finitum) & intra sex alteras hebdomadas sequentes ex Ducatu Burgundiæ, ita vt reuertendi in dictas prouincias inferiores aut Belgium ipsis potestas adimatur, aut vlli alij induci possint, quamdiu extraneo bello vacamus, & generaliter nisi opus sit, & vrgeat necessitas, præfatis Statibus nota & probata. Quemadmodum etiam dicti Status curabunt educi omnes Francos, Anglos, Scotos & alios extraneos, in quos imperium & auctoritatem habent.

VI.

DICTI quoque milites Hispani, Germani, Itali, Burgundiones, & alij quicunque exeuntes ex arcibus & oppidis, cogentur relinquere omnem commeatum, tormenta bellica, & munitiones ibidem existentes. Et quantum ad tormenta bellica, ex arcibus sumpta, reddentur & restituentur prima opportunitate in locum vnde desumpta sunt, præcluſa omni licentia auehendi ea, quamquam extra prouincias, easque arces & oppida cum dicto commeatu & munitionibus ibidem existentibus, nos committemus: illas quidem quæ sunt sub gubernatione Hannoniæ intra viginti dies à publicatione huius, reliqua verò, vbicunque sita sunt, intra alios viginti proximos dies hominibus indigenis inferiorum prouinciarum, siue Belgij qualificatis, secũdum earum priuilegia gratis Statibus prouinciarum reconciliatarum respectiuè.

VII.

QVO tempore discessus & abitus præfatorum extraneorum pendente, nos cum dictis prouinciis reconciliatis nostris sumptibus & expensis confi-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

ciemus corpus quoddam militum ex indigenis prouinciarum, & aliis gratis nobis, ac iisdem prouinciis, ea tamen condicione, quòd præfatæ prouinciæ nos suo subsidio iuuabunt, iuxta articulum XX. subsequentem, ad manutenendam religionem Catholicam Romanam, & debitam nobis obedientiam, ex forma Pacificationis Gandauensis, Vnionis, Edicti perpetui, & huius præsentis tractatus in omnibus suis articulis.

VIII.

MANDAMVS quoque Statibus & Gubernatoribus, tam generalibus quàm particularibus, Cõciliis & Magistratibus Luxemburgicis & Burgundicis, manutenere & non pati diminui, aut præiudicari in re vlla, Edicto perpetuo, & huic tractatui, in vllis suis punctis & articulis; item non permittere vllis militibus trãsitum aut ingressum, in præiudicium harú prouinciarum, & de his omnibus præstare iusiurandum & instrumentum publicum idoneum & sufficiens: quemadmodum etiam Status reciprocè ex sua parte facient suum debitum officium, ad eundem finem, vt commercia & communicationes sint tuta & libera inter dictas prouincias, sicuti fuerunt præteritis temporibus, cum omni securitate.

IX.

VT omnes captiui vtrinque liberentur, statim post promulgationem præsentium, quatenus erunt in ipsorũ potestate, sine vllo redemptionis pretio.

X.

QVANTVM ad bona detenta, arrestata & contrectata, hinc inde à Pacificatione Gandauensi, tam

si, tam in inferioribus nostris prouinciis, quàm in Burgundia & alibi: quilibet redibit statim in bona sua immobilia: in mobilia verò quilibet etiam redibit, quatenus non fuerint alienata, auctoritate & mandato iudiciali, vel per magistratus ad id coactos tumultu populari. In quibus comprehendentur bona captiuorum, detentorum à Gandauensibus, & aliis factionis eorum. Quo ad reditus, & onera super iisdẽ bonis, obseruabuntur ea quæ dispositasunt XIIII. & XVI. articulis Pacificationis Gandauensis, habito respectu ad diẽ natiuitatis S. Ioh. Baptistæ anni M.D.LXXIX.

XI.

MANVTENVIMVS etiam, & manutenemus, omnes Gubernatores modernos prouinciarum, vrbium, locorum & castellorum reconciliatorum, constitutos ante discessum quondam nostri dilectissimi & charissimi fratris Domini Ioannis in oppidum Namurcense, vti etiam illos quibus prouisum est de gubernationibus per mortem vacantibus. Sed quantum ad gubernationes constitutas per modum prouisionis, propter captiuitatem & detentionem quorundam Dominorum, illi commissi ad huiusmodi gubernationes continuabuntur, vsque ad restitutionem & reditum dictorum Dominorum captiuorum: ita tamen, vt si dicti captiui fortè moriantur, tum prouideatur iuxta articulum xviij. promittimúsque nullos ex his destituere, quatenus secuti fuerint partes Ordinum durãtibus his motibus, & manutenuerint religionem Catholicam Romanam iuxta formam pacificationis Gandauensis, Vnionis postea insecutæ, &

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.МЕЧНИКОВА

Edicti perpetui; nec faciant posthac quicquã quod præiudicium adferat huic præsenti tractationi & reconciliationi.

XII.

Et ad maiorem securitatem, ordinauimus & ordinamus, iuxta formam xj. articuli Edicti perpetui, vt status prouinciarũ reconciliatarum, omnes constituti in dignitatibus Gubernatores, magistratus, ciues & incolæ ciuitatum & pagorum vbi erunt in præsidio milites, similiterque iis milites, ac etiam incolæ ciuitatum & pagorum vbi non est præsidium, denique omnes alij in functione aliqua, munere vel officio militari, aut alio versantes, præstent iusiurandum, se conseruaturos religionem Catholicam Romanam, & debitam nobis obedientiam, iuxta dictam Pacificationem, Vnionem postea subsecutam, Edictũ perpetuum, & hunc præsentem tractatum; & quòd non recipient, mutabũt vel admittent respectiuè præsidiũ, absq. scitu Gubernatoris generalis, & prouincialis, & Concilio statuum cuiusque prouinciæ, aut ipsorum delegatorũ: sic quidem, vt necessitate repentina ac graui vrgente, dictus Gubernator prouincialis prouideat fortalitiis, vbi solet haberi præsidium militare; ita tamen, vt milites nobis sint sacramento deuincti, nobisq. militent in qualibet prouincia.

XIII.

Promittimvs quoque non grauare, nec grauari facere ciuitates aut agros dictarum prouinciarum reconciliatarum aliquo milite extraneo vel intraneo, nisi ipsimet incolæ id expetant, belli aut periculi alicuius caussa, aut solitum sit ibidem esse

esse ab omni tempore; quo casu erit præsidium ex indigenis Belgij, Statibus respectiuè gratis.

XIIII.

Volvmvs & statuimus, vt in omnibus ciuitatibus & pagis, vbi Magistratus extraordinariè renouati sunt ab exordio motuum, restituantur in integrum, secundum consuetudinem & priuilegia cuiusque loci obseruata tempore quondam inclytæ & glorioſæ memoriæ Imperatoris Caroli Domini & patris nostri. Item vt res ita cõstituantur, vt dictis magistratibus sua constet auctoritas, illisque pareatur, vti decet, ne recidatur in noua denuò pericula.

XV.

Promittimvs etiam, nos semper præfecturos gubernationi generali Belgij nostri, Principem vel Principissam nostri sanguinis, qui, quæ ue dotes & qualitates, ad tam arduum munus necessarias, & de quo, vel qua subditi iustam caussam satisfactionis sint habituri, vel ex omni ratione contentos se præbere debeant. Gubernabit cum omni iustitia & æquitate, secundum iura & consuetudines dictarum prouinciarum, iurabitq. sollemniter se manu tenturum Pacificationem Gandauensem, Vnionem postea subsecutam, Edictum perpetuum, & hunc præsentem tractatum, in omnibus suis punctis & articulis, & notanter religionem Catholicam Romanam, nobisque debitam obedientiam; præsignificabimusque dictis Statibus, vti soliti sumus, aliquo tẽpore ante creationem dicti Gubernatoris, quẽ elegerimus. Volumus autẽ, vt nepos noster Princeps Parmẽsis, pro

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

ſummo voto quod habemus ante omnia procurandi quietem & ſecuritatem noſtrorum ſubditorum, omni officio & induſtria promoueat,& executioni mandet diſceſſum extraneorum , & reſtitutionem locorum, vtq. eodem tempore admittatur & recipiatur in gubernatorẽ generalem Belgij noſtri,ad tẽpus ſex menſium,obſeruatis ſollemnibus conſuetis, & pro maiori ſatisfactione & confidentia noſtrorum Statuum & ſubditorũ, habeat pro ſuis domeſticis indigenas prouinciarum , & quàm minimum poterit extraneorũ : & quo magis illis gratificemur , cupimus vt numerus dictorum ſeruorum extraneorum non excedat xxv. vel xxx . Quibus etiam extraneis non conferetur aliqua adminiſtratio negotiorum publicorũ harum prouinciarũ. Habiturus tamen eſt talem corporis cuſtodiam,quam alij Gubernatores,Principes vel Principiſſæ noſtri ſanguinis habere ſoliti ſunt, arcuariorum nempè & hallabardariorum indigenarum ad id qualificatorum. Cũ quo nepote noſtro dicti Status ex hoc tempore mutuam cõmunicationem habebunt,ipſiq. ſignificabunt omnia quę agentur, & pertinebunt ad executionem eiuſdem tractatus, & quæ inde dependent. Fient quoque omnia Edicta, Mandata & prouiſiones per nos & noſtro ſolummodo nomine, finitiſq. præfatis ſex menſibus, caſu quo non prouiderimus dictæ gubernationi in perſonam eiuſdẽ Principis Parmẽſis , aut alterius, qui qualitatibus ſupradictis præditus ſit,eadem gubernatio, ne quis tumultus aut cõfuſio oriatur,adminiſtrabitur per Conciliũ Status interea, dum expectabitur dicta noua prouiſio.

XVI.

XVI.

QVOD quidem Concilium Status conſtituetur à nobis ex duodecim viris,noſtro arbitrio eligendis, tam proceribus & nobilibus, quàm togatis , vt moris fuit naturalibus harum prouinciarum, ex quibus duæ tertiæ gratæ ſint Ordinibus dictarum prouinciarum , & adhæſerint ipſorum partibus , ab exordio motuum vſque ad finem. Quarum duarum tertiarum quinque habebunt à nobis commiſſionem more ſolito , & tres reliqui ſimplicem prouiſionem pro termino trium menſium,quibus elapſis eos poterimus (ſi ita nobis videtur) continuare aut eligere ac conſtituere alios qualificatos, vt ſuprà;vt locus apertus relinquatur prouinciis adhuc reconciliandis.

XVII.

EX ſententia verò & concluſione maioris partis dictorum Conſiliariorum,qui tenebuntur prę-ſtare idipſum iuſiurandum quod iam antè diximus, omnia expedientur vti tempore dicti honoratiſſimi Domini & patris noſtri Imperatoris Caroli , & peculiari nota ſignabuntur ab vno aliquo dictorum Conſiliariorum , vt obuiam eatur malis ſæpiùs deprehenſis.

XVIII.

OMNIBVS gubernationibus,quas deinceps ad ſex vſque annos proximos continget vacare,in dictis prouinciis recõciliatis, præcipuè præfecturæ militum , admouebimus naturales noſtrarum inferiorum prouinciarũ, aut extraneos, tam vnos quàm alteros Statibus dictarum prouinciarum reſpectiuè gratos , capaces , idoneos & qualificatos,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

tos, ſecundum earum priuilegia. Quantum verò ad Concilia noſtra, ſecretum, financiarum & alia officia magni momenti attinet, ſimiliter promouebimus naturales dictarum prouinciarum, aut certè alios non naturales, dictis Statibus gratos & acceptos: qui antequam recipiantur, tenebuntur iurare ſollemniter in verba huius tractatus, & medio iureiurando promittere, caſu quo deprehendant agi quidquam in eius præiudicium, de eo facere certiores Status prouinciarum, ſub pœna periurij & infamiæ.

XIX.

RATIFICAVIMVS quoque, & ratificamus, omnes conſtitutiones redituum annuorum, penſiones & alias obligationes, ſecuritates & impoſitiones, quas dicti Status ex conſenſu ſingularum prouinciarum conſtituerunt & contraxerunt, conſtituent & contrahent in eorum commodum, qui illis auxilio fuerunt, vel pecuniam numerarunt neceſſariis, & ſoluenda debita contracta, cauſſa belli & motuum præteritorum, iuxta articulum XVIII. Edicti perpetui.

XX.

NEC onerabuntur in futurum vllis gabellis, contributionibus & impoſitionibus, aliter aut alia forma & ratione, quàm onerabantur tempore & imperio quondam Domini & patris noſtri Caroli Quinti, & ex conſenſu Statuum cuiuſcumque prouinciæ reſpectiue.

XXI.

OMNIA & ſingula priuilegia, vſus & conſuetudines, tam in genere quàm in ſpecie, manu tenebuntur, & ſi qua violata ſunt, reparabuntur & reſtituentur.

XXII.

DICTÆ prouinciæ recõciliatæ tenebuntur renunciare omnibus obligationibus & fœderib⁹ factis à principio mutationũ & motuũ præteritorũ.

XXIII.

ET quia Status ſentiunt ſe obligatos chariſſimæ ſorori noſtræ Sereniſſimæ Reginæ Angliæ & Illuſtriſſimo Andegauenſium Duci Regis Chriſtianiſſimi fratri, ob ſuppetias ab iiſdem acceptas: nos mittemus intra duos menſes proximos, ex eo tempore quo nepos noſter Princeps Parmenſis & Placentiæ ingreſſus fuerit gubernationem generalem, perſonam quandã idoneam ad eos, ad præſtanda omnia humanitatis officia; continuabiturque confœderatio, & priſtina amicitia cum dicta ſorore noſtra reciprocè.

XXIIII.

ET ad augendum affectum & beneuolentiam quam principes debent ſubditis, & contrà vt ſubditi magis inclinent ad venerationem & debitam obedientiã Principi ſuo naturali; dicti Status humillimè à nobis petierunt & ſupplicarunt, vti prima occaſione & primo quoq. tempore mittamus in Belgium vnum ex liberis noſtris, quem veriſimile ſit nobis ſucceſſurum, in noſtras prouincias, vt ibi educetur & inſtituatur, iuxta morem ipſorum, in omni pietate & virtute conuenienti. Qua in re habebimus eum, quem oportet, reſpectum.

XXV.

CONSENTIMVS etiam, vt omnes prouinciæ,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

ciæ, caſtellaniæ, ciuitates & perſonæ particulares noſtri Belgij, qui volent reconciliari nobiſcum, iuxta formam & condicionem huius præſentis tractatus, à nobis ad id admittẽtur, & gaudebunt eodem beneficio quo dictæ prouinciæ reconciliatæ; modò voluntariè eò deſcẽdant, intra tres menſes, poſt realem diſceſſum Hiſpanorũ ex toto Belgio.

XXVI.

CONCESSIMVS quoque, & concedimus dictis Statibus, vt poſſint ſupplicare ſuæ Sanctitati, noſtro chariſſimo ac dilectiſſimo fratri, nepoti & cognato noſtro Imperatori, Archiepiſcopis Colonienſi & Treuerenſi, ac Duci Cliuenſi, tanquam zelatoribus boni & tranquillitatis Reip. Chriſtianæ, vt placeat eis operam dare, vt tractatus iſte & pactum conuentum in omnibus ſuis punctis ad effectum perducatur, impleatur, & ſine vlla violatione obſeruetur.

XXVII.

SI verò in executione & cõſummatione huius pacificationis, & quod ab eo pendet, oriatur aliqua difficultas & controuerſia, definienda poſt publicationem eius: nos & Status dictarum prouinciarum reconciliatarum deputabimus reſpectiuè Commiſſarios, qui omnia intelligant, componant & executioni mandent. Interea hoc obſeruãdum eſt, quòd per verba, *Grati Statibus &c.* poſita in multis articulis huius tractatus, non excludentur naturales Belgij, qui adhæſerint vni aut alteri parti contrahentium.

XXVIII.

VT autem omnia & ſingula puncta, & articuli ſu-

li ſuprà ſcripti, facti & concluſi in dicta noſtra ciuitate Atrebatenſi xvij die Maij vltimò præteriti, illuſtrati, repurgati & reſoluti in noſtro oppido Montenſi xij. die Septembris anno M. D. LXXIX. bene & realiter obſeruentur, compleantur & executioni mandentur, & vt omnia, iiſdem articulis contenta, ſint rata, firma, perpetuò permanentia & inuiolabilia: iuſſimus hunc præſentem tractatum ſignari per noſtrum chariſſimũ & fidelem cognatum Comitem à Mansfeldt, & alios delegatos noſtros ſuprà nominatos ex vna parte, ac per Gubernatores ac delegatos dictarum prouinciarum & alios confœderatos, ex altera parte; promittentes ratificare omnia litteris noſtris patentibus, in debita & conſueta forma, intra tres menſes ab hodierno die. Datum in noſtro oppido Montenſi, XII. die dicti menſis Septemb. M. D. LXXIX.

RESPONSVM DOMINORVM COMMISSARIORVM AD LITTERAS VALENCENENSIVM.

Sacræ Cæſ. Maieſt. ad negotium pacificationis Belgicæ deputati Commiſſarij.

LITTERÆ veſtræ, xix. Septembris datæ, nobis ante paucos dies ſunt redditæ. Ex quibus magna animi voluptate intelleximus, vos pacem & reconciliationem cum Rege Catholico, Principe ac Domino veſtro naturali, neutiquam recuſare, ſed tantùm cauſſas quaſdam allegare, quare conſultius videatur, vos eos potiùs articulos quos Artheſij, Hannonienſes & eorundem cõfœderati inierunt,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

inierunt, quàm media, hîc propoſita, recipere. Quod cùm ita ſit, & vtrique articuli, vt verè ſcribitis, ad eundem ſcopum recõciliationis tendant, meritò liberum vobis relinquimus, vtrum conditiones pacis hîc propoſitas, vel Artheſiis & Hannonienſibus cõceſſas, acceptare velitis, eiuſdemq. ſentẽtiæ etiam Regium Mandatarium Ducem de Terranoua eſſe, ex eo intelleximus; tantum id vobis ſignificandum duximus, quòd ſi media hîc propoſita, omnibuſq. nondum reconciliatis prouinciis & ciuitatibus Belgicis tranſmiſſa, acceptare, & in ea re noſtra opera vti volueritis, neceſſarium eſſe, vt ante finem huius menſis Octobris nobis indicetis: nam eum terminum peremptorium ad hoc ſtatuimus; quo elapſo hinc diſceſſuri, & tractationi huic finem impoſituri ſumus. Interim vos ſedulò & diligenter adhortamur, vt in ſententia veſtra, qua pacem & reconciliationem cum Rege Catholico inire ſtatuiſtis, conſtanter perſiſtatis, & ab ea nulla ratione, quantumuis ſpecioſa, vos dimoueri patiamini. Quod reliquum eſt, non tantùm à Deo petimus & optamus, vt is in pace oblata acceptanda & perficienda vos confirmet, ſed & omnia beneuolentiæ officia vobis promptè offerimus. Datæ Coloniæ v. Octobris M. D. LXXIX.

Spectabilibus, prudentibus & circumſpectis Juratis Scabinis, Senatui totiq; Communitati ciuitatis Valencenæ.

RE-

RESPONSVM DVCIS DE TERRANOVA AD LITTERAS EORVNDEM.

Ex lingua Gallica in Latinam tranſlatum.

DOMINI mei. Vehementer gauiſus ſum ex epiſtola veſtra, ſcripta XIX. ſuperioris menſis, intelligere bonam veſtram intentionem & voluntatem, vt ſecura pace perpetuò reconciliemini cum ſua Maieſt. ſupremo veſtro Domino & Principe naturali, ad exhibendũ illi debitam obedientiam, & quòd rationi & æquitati conſonos iudicaſtis articulos, à principibus Commiſſariis Cæſ. Maieſt. exhibitos, vobiſque miſſos. Quæ res non poteſt mihi non eſſe gratiſſima, meritoque laudo tam bonam ac ſanctã reſolutionem. Verùm quia propter conſiderationes, veſtra epiſtola comprehenſas, videmini differre in præſentiarum dictos articulos recipere, obſtante alia particulari tractatione, à vicinis veſtris inita, & iam publicata, his volui vobis ſignificare, & certos reddere, quia vtraque res tendit ad vnum eundemque ſcopum, vos non poſſe peccare neque aberrare, ſi promptè declaretis vos recipere dictos artieulos, fidemque vobis facio & promitto per præſentes, quòd huiuſmodi receptione nullo modo vobis præiudicium, aut intereſſe aliquod fiet, neq. ſecludemini à tractatione cum veſtris vicinis iam inita, quibus vos cupitis conformes reddere. Sed recipiendo dictos articulos, habebimini eodem cum illis loco & gradu, gaudebitiſque omnibus beneficiis & gratiis per dictam tractationem ipſis conceſſis, vel adhuc concedendis. Cuius rei pro mea erga vos beneuolentia, & veſtra tam bona intentione

volui

НАЦІОНАЛЬНА БІБЛІОТЕКА УКРАЇНИ ІМ. І.І. МЕЧНИКОВА

volui vos certiores facere, atque etiam hortari, ne velitis vti termino per dictum tractatum conceſſo, atque ita differre vel remorari declarationem veſtræ bonæ concluſionis hac in re, ſed promptè recipere articulos ad vos miſſos, tum ne dicta dilatione voſmetipſos oſtendatis differre à veſtris vicinis, qui modò ſeſe ad eundem finem, licet alia via declararunt, tum ad maiorem fauorem promerendum penes veſtrum principem naturalem, quicum reconciliari deſideratis, & etiam penes hos Dominos Commiſſarios, qui ſeſe mediatores conſtituerunt, ac tantum temporis moleſtiæque, vti noſtis, ſubierunt; quibus etiam veſtra tam prompta concluſio valde grata erit, eademque opera exemplo futura aliis ad idem faciendum, vt citiùs perueniatur ad pacem generalem, ab omnibus vnanimiter deſideratam: Deum rogans, Domini mei, vt illam nobis concedat ita bonam & duraturam, vti ego & vos deſideramus. Datum Coloniæ IIII. Octob. M. D. LXXIX.

SCRIPTVM LEGATORVM ORDINVM.

Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimi, Generoſe, Nobilis S. Cæſ. Maieſt. Commiſſarij.

ILLVSTRISSIMVS Dux Arſchotanus, & nos reliqui Ordinum legati, litteras illas, quas placuit Celſſ. & Dign. V. ad Ordines generales ſcribere, quarum exemplum nudiuſtertius nobis traditum eſt, perlegimus, & vt rogati & iuſſi fuimus, eaſdé litteras ad illos tranſmiſimus; ſed cùm præ-

præter ſpem noſtram acciderit, quòd in iis nihil Ordinibus ad grauamina iſta, quæ plus quàm manifeſtè ſe in articulis pacificationis exhibitis reperire oſtendunt, reſponſum ſit, nec vlla Ordinibus ſpes detur maioris alicuius moderationis & gratiæ, ſuper qua firma pax inter Ser. Regem & ipſos conſtituatur, ſed potius in contrarium omnis illa ſpes iis per litteras iſtas præcidatur, ſolliciti ne inde maior aliqua alienatio à Rege, vel ſiniſtra ſuſpicio de hoc tractatu apud deputatos prouinciarum, quarum conuentus breui habebitur, ſuboriatur; qua re non ſolùm omnia iſta quæ hactenus acta ſunt, in nihilum redigentur, ſed grauiora tam ab vna quàm ab altera parte conſiliis & factis accidere neceſſe ſit: propterea Celſs. & Dign. V. iterum enixiſſimè rogatas volumus, ne grauentur vel nouis litteris ad Ordines datis, vel ſcripto nobis tradito, vt illius eos certiores ante conuentum iſtum faciamus, obſtacula & impedimenta illa, quorum Ordines in litteris ſuis mentionem faciunt, per nouam declarationem tollere, mediáque propoſita ita moderari & reformare, vt ex iis firmiorem ſecuritatem omnes ſubditi, deinde maiorem reuerentiam erga Deum & Regem, dum in animis ſuis vtriuſque Maieſtati ſatisfacere poterunt, conſequantur.

Pro hac noua declaratione, nouisque mediis quæ à Dominis Cõmiſſariis Legati Ordinum hic petunt, traditis iis poſtea eſt ſcriptum apologeticum Ducis de Terranoua.

AD quam rem ſimiliter ſubmiſſis animis interceſſionis veſtræ officium imploramus, cuius reſpectu Celſs. & Dign. V. haud mouere debet, quòd Dux de Terra-noua circa quædam ſe difficiliorem præbeat, ſed veſtræ gratiæ incumbere putamus ea ad minimum conſentire, quæ conditio & ſtatus

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Reipub. noſtræ præſens neceſſariò exigere & flagitare videtur. Actum Coloniæ 13. Octob. M. D. LXXIX.

XXVI. Octob. cùm ciuitas Arnhemenſis litteras ad Dominos Commiſſarios, quibus ad binas primas à Celſs. & Dign. eorũ ſcriptas reſpondent, tranſmiſiſſet, eas legati Ordinum, exemplo earum lecto, vt rogati ab ipſis erant, incontinenti illis tradi faciunt. Cùm verò iiſdem litteris adiuncta eſſet copia ſecundarum litterarum, quarum exhibitionem factam non eſſe ſuprà expoſuimus, viſum mihi eſt, ne quid hiſtoriæ deſit, has litteras hîc inſerere, quibus aliæ, ad alias prouincias & ciuitates datæ, ſine dubio ſimiles fuerunt. iiſq. deinde reſponſum Arnhemenſium ſubiicere.

LITTERÆ COMMISSARIORVM AD CIVITATEM ARNHEMENSEM.

Sacræ Cæſ. Maieſtatis ad negotium pacificationis Belgicæ deputati Commiſſarii.

Spectabiles & prudentes:

NEMINI obſcurum eſſe arbitramur, quanto ſtudio, quantisque moleſtiis & laboribus hoc onus Belgicæ pacificationis, à Sac. Cæſ. Maieſt. nobis impoſitum, hucuſque proſecuti fuerimus, neque à quoquam in malam partem accipi vel poſſe vel debere, ſi longiori veſtra ceterarumq. prouinciarum & ciuitatum (ad quas iam dudum articuli pacificationis, omnium iudicio tam æqui & tolerabiles, XVIII. Iulij à nobis Legatis Ordinum exhibiti, vobis proculdubiò communicati, poſtremò verò à nobis ſub dato VI huius denuò tranſmiſſi) protracta mora, cum magno noſtro noſtrorumque incommodo fruſtra hîc tempus terere, non leui afficiamur tædio.

QVAMOBREM vos iterum hiſce noſtris litteris monere voluimus, prout monemus & hortamur, vt hanc optimam veſtræ ſalutis, Reipublicæ quoque veſtræ tranquillitatis & pacis perpetuæ ſtabiliendæ occaſionem verè vobis cordi eſſe, & nec vllo vel diffidentiæ vel ſiniſtrę alicuius perſuaſionis affectu mentes & animos veſtros ita faſcinari vel obnubilari patiamini, quò præſentem vobis vltrò oblatam, tamque plauſibilem & iucundam quietis & felicitatis veſtræ opportunitatem vobis præripi permittatis.

ET quia veremur, ne frequentiores illæ Antuerpienſes turbæ impedimento ſint, & in futurum eſſe poſſent, quominus res hæc tam ardua debita celeritate expediatur, ob id vos ſeriò hortandos duximus, quòd vlteriore quauis mora remota, etiam nobis huc Coloniã, cuiuſlibet alterius prouinciæ vel ciuitatis longiori protelatione non attenta, ſuper antè memoratis vobis trãſmiſſis pacificationis articulis veſtram reſolutionem & ſententiam, vti ſperamus huic negotio conuenientem, in forma authentica quamprimùm, aut ſaltem intra ſpatium trium ſeptimanarum, à datis præſentium computandarum renuntiari curetis. Hoc ipſo facietis rem in primis vobis veſtræque patriæ ſalutarem, Cæſareæ Maieſtati & nobis

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

gratam. Datum Coloniæ xxix. Augusti, anno M. D. LXXIX.

Subscriptum:

Iacobus Archiepiscopus Treuir.
Gebhardus.
Iulius Episcopus Wirtzb.
Otto Henricus Comes in Schwartzenberg.
Wernher herr zu Gimneich.

Superscriptum:

Spectabilibus & prudentibus Burgimagistris, Scabinis, Consulibus, Senatui totiq; Communitati ciuitatis Arnhemensis.

RESPONSVM CIVITATIS ARNHEMENSIS, AD LITTERAS DOMINORVM COMMISSARIORVM.

REVERENDISSIMI Illustrissimiq. Principes Electores, cæteriq́ue nobilitate generis clari viri, Cæs. Maiest. Legati, Coloniæ de pace Belgicis prouinciis, post earum deuastationem & inauditas calamitates acceptas restituenda, cum regiis Legatis tractantes. Gratias agimus Celss. & Dign. V. immensas, quòd propriis ditionibus propter publicum bonum & salutem vniuersorum neglectis, nullos labores detrectetis, nec vllis sumptibus parcatis, quò res feliciter cœpta ad optatum tandem finem perducatur. In quo diuina æterni patris suffragante gratia perficiendo, vt porrò benignissima erga afflictos Belgas animorũ propensi-

pẽsitate perseueretis, suppliciter & enixè rogamus.

QVOD autem litteris vestris Coloniæ quinta die & rursus vicesima nona mensis Augusti ad nos datis tam serò respondemus, causa alia non est, quàm quòd statuere prius nec potuimus, nec debuimus, quid, ante conuentum Ordinum totius Gelriæ ducatus & comitatus Zutphaniæ nunc hîc celebratum, respondendum esset, saluo fœdere cum alijs prouincijs, & præcipuè cum vicinis Traiectensibus & Hollandis inito. Quæ causa nemini non maximi esse momenti haud dubiè videbitur. Quemadmodum enim ante omnia ex more & consuetudine maiorum cauendum est, vt Ordines huius prouinciæ vnanimi consensu de conditionibus pacis oblatæ deliberent, nec quisquam eorum priuato & præcipiti pacis desiderio è communi consilio vniuersitatis discedere tentet; ita simul prouidere debemus, vt iuxta pacta conuenta in fœdere, etiam cum confœderatis nostra sententia omnimodo consentiat, nec alia expetatur pax, quàm quæ communi prouinciarum suffragio in vnum eundemque finem cum stabili & perpetua patriæ salute dirigatur. Quanquam enim non pauci sunt quorum animos præsens calamitas adeò excæcauit, vt qualicunque modo rebus suis liberè frui permittantur, non solliciti quid hostis porrò machinetur, pacem omnibus modis exoptent & petant: attamẽ qui ex nundinatione Albani & Austriaci didicerunt, quàm fides & iuramentũ nostris præstita venalia sint Hispanis; certissimũ patriæ exitiũ denuntiant, si cæco iniquissimę pacis desiderio vinculũ fœderis dissolui patiamur.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

IDEOQVE vt dissoluatur, nihil non tentant Hispani, vtpote cùm vnicam victoriæ spem in dilaceratione pridem bene vnitæ Belgicæ ponant, neque in alium scopum illos collimare hodie videamus. Hinc est ille subiectus pacificationis articulis manu scriptus speciosus appendix (vt ad nostras & multorum aliorum manus eiusmodi exemplar peruenit) in illorum animos, qui ceteris plus sapere velle videtur, se insinuans ad perfidam defectionẽ, quasi ostensa scientiæ boni & mali arbore, eos inuitat hisce verbis: Hos articulos pacis si quæ prouinciæ seu ciuitates, nec non particulares cuiuscũq. ordinis homines acceptare velint; ab omni exercitus Regij iniuria immunes erunt, neque ciuitates vllo militari præsidio grauabuntur, neque vlterius vrgebuntur, quàm vt Regi condicionibus suprà dictis fideles & addicti permaneant, &c. Et ad maiorem perfidiæ occasionem dandam subiicitur: Et quicunque sibi inde amplius cauere cupient, Ducẽ de Terra-noua, pacificationis causa huc missum, adire poterunt, qui cuiusuis ita affecti desiderio abundè satisfacturus est.

EX quibus verborum illecebris, quàm hæc ab Hispanis oblata pax insidiarum plena sit, quamque detecta fronte ciuile bellum inter malè adhuc in causa religionis reconciliatos mouere tentet, nemini iam dubium est.

QVOD euidentius patebit examinanti ipsas huius oblatæ pacis conditiones, quæ non solùm pacificationi Gandauensi, & Edicto perpetuo, ab ipso Rege solleniter approbatis & confirmatis; verũetiam iuri & naturali æquitati contrariæ sunt, vt viuis

viuis rationibus, vbi opus erit, demõstrari poterit.

IN primis verò ab omni naturali iudicio & humanis rationibus alienum est, tam duram & intolerabilem legem innumerosæ ecclesiæ religionis reformatæ præscribere, vt relicta patria, liberis, parentibus, cognatis & paternis bonis, à procuratore scilicet administrandis, in voluntarium eat exilium, dissipanda per totam Europam, vbi fortassis nullum sit tam amplum regnum quod hanc exulantium multitudinem hospitio velit excipere, aut si velit, capere posse videatur.

HÆC diligenter expendenda & examinanda nobis fuerant; in primis verò cauendum, ne quæ dantur pacis leges omnia, quæ ad sinceram pacificationem stabiliendam hactenus impensa sunt, irrita faciant, nosque simul elusos huiusmodi pactorum tenore cum summa nostra ignominia frustra tandem conqueramur.

QVANQVAM enim diuturno bello nos vicinarumq. prouinciarum subditi ita attenuati sumus, vt pacem tandem petere debeamus; tamen mori satius est, quàm tales pacis conditiones recipere, quæ Belgas in eas reducant angustias, vt qui bello vinci non potuerint, eorum alij vxores, liberos & omnia, scientes volentes, Hispanis mox, vbi volent, redituris, aut saltem eorum coniuratis subiiciant; alij verò in exilium sponte patria relicta discedant.

QVIN potius Mandati formam, quam Ordines prouinciarum suis legatis de pace tractaturis communi consensu dederunt, etiam cum vitæ periculo obseruare decretum est; præsertim cùm

HATROBA BIBLIOTEKA OHVIM. U. MELEMBOBA

nihil omnino in ea, quod ad æquas pacis conditiones, eamque in perpetuum ad honorem Dei, & debitam Regi à subditis obediẽtiam stabiliendam facere vllo modo videatur, desiderari possit.

EIVSMODI concessa pace redintegrabitur pristinus Belgicarum prouinciarum status, cum æterna laude Imperatorij nominis & Electorię dignitatis, simulque cum salute totius imperij Romani nimis vicino hoc bello Hispanorum tyrannidem iam multis annis perpessi.

QVAPROPTER supplices rogamus & obtestamur Celss. & D. V. vt nostrarum calamitatum misertæ, dignentur Hispanorum tergiuersationes & moram tandem abrumpere, restituta nobis pace quæ Deo, quę Dei sunt, & Regi quę Regis sunt, exhibeat & subiiciat. Datum Arnhemij XVI. Octobris, anno M. D. LXXIX.

Celss. & D. V.

Obedientiss.

Magistratus & Ciues Arnhemij metropolis Veluæ.

XXX. OCTOB. legati Ordinum ad Concilium vocati fuerunt; quò cùm quidam eorum comparuissent, indicatum illis fuit, Ducem de Terra-noua scriptum quoddam, quod loco responsi esse vellet ad litteras Ordinum, quæ postremò tum ad Dominos Commissarios, tum ad ipsum missæ erant, in Concilio exhibuisse. Ac licet Domini Consiliarij cum neutra parte in vllam disputationem vel ipsi descendere velint, vel partes inter se mutuò in eã venire approbent, præsertim cùm ipse Dux declarauerit, se nihil amplius, quàm quod exhibi-

hibitis articulis continetur, cõcessurum, nec Celss. & Dign. eorum quicquam etiam in iisdem articulis immutare statuerint, sed super illis resolutionem Ordinum generalium expectare: omittere tamen non potuisse, quin scriptum illud legatis Ordinum communicarent.

AD quod illi respondent, se scriptum illud relegere velle; cui si ex tempore respondere possent, se id facturos esse; sin minus, ad Ordines transmissuros.

SCRIPTVM DVCIS DE TERRANOVA.

Reuerendissimi, Illustrissimiq; Domini Electores, Principesq; Generosi, Nobiles Domini, Sacræ Cæs. Maiest. delegati longè dignissimi.

QVANTVMVIS varię subsint caussæ, & quidem grauissimæ, propter quas vix operæpretium fore crediderim, ad contenta litterarum, mandato Ordinum Belgij Antwerpiæ congregatorum, iampridem decima superioris mensis Septembris, ad amplissimum vestrum consessum datarum, ac deinceps mihi communicatarum, prolixiùs aut curiosiùs respondere: tamen veritus, ne qua erroris facti grauior forsan impressio vspiã locorum, præsertim verò apud incautiores, ex iis quæ adeò temerè asseruntur, quomodolibet caussari queat; credidi ad functionis meæ debitum omninò nihil tam pertinere, quàm nedum vitiosos scopulos eiuscemodi contentiosæ scriptionis detegere: verùm etiam ad cõfortationem illorum

Hec scriptum ad extremum seruatum est, quo nec Ordinibus vel ipsorum mandato legatis eorum respondendi ad illud tẽpus aut opportunitas esset.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

qui reuera pacē in Domino ſitiunt, ipſam demum facti veritatem, ab omni circumuentionis fuco deterſam, breuiter ob oculos ponere.

PRINCIPIO quod attinet ad ſpecioſas illas excuſationes ſubterfugiorum trāſmiſſionis Mandati plenioris, vtpote ad vtrumque effectum, tam concluſionis quàm tractationis, ſuffecturi, verè miranda res eſt, quòd Ordines Belgij adeò ſobriè meminerint, non dicam propriæ ſalutis, ſed decori & reſpectus, quem multis nominibus debent Sac. Cæſ. Maieſt. tāto interceſſori, atq. adeò etiam ampliſſimo huic veſtro conſeſſui, cuius indefeſſam ſollicitudinem, coniunctam cum tanta æquanimitate, nemo ſatis laudauerit vnquam. Fuere enim ante ſeſquiannum dicti Ordines omniūm primi, qui pertæſi ærumnarum ac ſumptuum belli, iam ſupplicarunt ſuæ Maieſt. Cæſareæ, quatenus ne dedignaretur obſequium fauorabilis interceſſionis laborāti populo Belgico apud S. Maieſt. Catholicam clementer impartiri. Cæſar autē ſupplicibus non ſolùm alacriter moram geſſit: quinimò & inſtituto hoc celeberrimo conuentu, nihil non eorum prouidenter diſpoſuit, quæ ad negotium congruæ reconciliationis ſubditorum cum ſuo Principe ſupremo ac naturali, ritè tum inchoandum, tum etiam feliciter conſummandum opportuna fore credidit. Rex autem Catholicus, pro conſueta animi ſui manſuetudine, Cæſareo conſilio acquieſcens, me ſuum Mandatarium, nō minùs amplo quàm ſufficienti procuratorio, legitimè inſtructum, huc ad præſentem conuentum deſtinauit; profeſſus vtique coram vniuerſo orbe terra-

terrarum, omninò nihil acceptius ſibi hoc Chriſtianæ Reipublicæ ambiguo ſtatu obuenire poſſe, quàm ſi interuentu amicabilis compoſitionis Cæſareæ, ac mediante ſedula cooperatione veſtrarum Celſs. vel tandem motibus Belgicis reuera ſecurus ac lætiſſimus finis (Deo auſpice) imponeretur. Quo quidem tempore, licet ſupra dicti Ordines, tanquā qui priores implorarant auxilium eiuſdem Maieſt. Cæſ. meritò debuerant etiam priores in arenam pacificatoriam deſcendiſſe, necnon legitima ac ſufficientia Mandata ſuis Mandatariis concredidiſſe: tamen ſecus accidit; quandoquidem ipſi non niſi iuſto interuallo, poſt meum in hanc ciuitatem aduentum, ſuos Mandatarios deſtinauere, & hos quidem longè ſterilioribus Mandatis ſuffultos, quàm quæ vllius rectè ſentientis iudicio ſufficientia reputari meruerint. Grauius autem illud eſt, quòd poſt tot menſes iam elapſos, quantumuis humaniter ac frequenter iam præmoniti, & antea requiſiti, ne hoc quidem tempore, de ampliori Mandato tranſmittendo, vix vllam ſpem faciant. Ex quibus proculdubiò vehemens oritur ſuſpicio, aut deputatos Ordines, non tam pacis quàm belli contrahendi arcana conſilia clam populo meditari, aut de legatorum ſuorum probitate & candore minus quàm deceat, confidere. Nam ſuſtinere quod natura rei principalis, ipſaque ratio & conſuetudo repugnent, quominus in hoc tam arduo negotio largiendum fuerit Mandatum liberum & abſolutum; denique ipſos præterea legatos eiuſcemodi amplum & illuminatum Mandatum, caſu quo ſponte etiam obtu-

HAYKOBA FIBLIOTEKA OHY IM. I. MELITIMA OBA

obtusum extitisset, haud dubiè repudiaturos fuisse: ac insuper quòd natura rei talis sit, quæ antecedentem partium disceptationem requirés, nequaquam ab initio circumscribi, certisque cancellis cõcludi potuerit: Nemo profectò tam leuiter versatus est in negotiis regnorum, aut rerum publicarum grauioribus, qui non vltrò iudicet, eiuscemodi allegata haud aliud præ se ferre, quàm speciosa quædam verba, & quidem foliis (vt dici solet) leuiora caducis. Nam vt breuitatis ergô, rationes contrariæ, & vetustiora exempla omittantur, tantùm consideretur quænam rerum facies, quæue pacis initia, cuiúsue generis mãdata, qualisque tractatio, & postremò quàm facilis & expedita suprema totius negotij cõclusio, tempore pacis Gandauensis, nuper extiterit; comperietur sanè, nec prouincias particulares tunc tẽporis cum tanto apparatu, vt nunc fit, consultas fuisse; imò vix vnicum mensem vniuerso negotio impartitum extitisse. Quid mirum? cùm eo tempore Ordinum deputati, ipsorumq; deputatorum primaria capita, non minus quàm ipsemet simplex popellus, pacem ex intimis animi præcordiis appetebant. Quæ quidem mens ac voluntas, si modò penes Ordinum deputatos in hæc vsque tempora perseueraſſent, iam vtiq. exoptata reconciliatione potiremur, nec circa angustiam Mandati procurationis adhucdum laboraremus, potissimùm legatis Ordinum maiori vt numero, ita propter excelsiorem nobilitatem Ducis Arschotensis, etiam maiori splendore ac dignitate, quàm quæ olim Gandaui fuerint, indubitanter nunc præditis: & quod

quod præcipuum est, etiam causſam sibi cõmissam prosecuturis coram amplissimo isto vestro consessu. Cuius sanè æquabilis rectitudo & summa integritas, comitata perinsigni rerum agendarum prudẽtia & dexteritate, longè notior est ac maior, quàm vt fas fuerit vllatenus suspicari, coram eiuscemodi Cæsar. delegatis, populo Belgico vllum fucum fieri, aut præiudicium generari potuisse.

EIVSDEM quoque ponderis, seu considerationis esse videtur mordax illa querimonia, quæ supradictis litteris distringitur in Excell^am^. Principem Parmensem, Gubernatorem & Capitaneum generalem, quem deputati Ordinum Antwerpiæ cõgregatorum, eo potissimùm nomine criminantur, tanquam is sit, qui in contemptum (vt aiunt) Cæs. Maiest. ac huius denique celeberrimi conuentus auctor fuerit, nedum distractionis prouinciarum, quinimò & grauissimorum dissidiorum inter subditos excitatorũ. Opinor sanè de Arthesia, Hannonia, Insulensibus, Duacensibus, Valencensibus, imò & Mechlinia, ac ceteris cordatioribus dicere ipsos voluisse. En quid nõ audet animus malè affectus? quid enim opus erat hanc Camarinam mouere? poterat (me hercle) taceri hoc, præsertim cùm ipsimet deputati non ignorẽt, vndenam vera causſa & origo distractionis earundem prouinciarum nuper manârit. Imò ne eius quidem rei oblitos arbitror, quàm ipsemet Princeps Auraicus, vnà cũ suis sectatoribus, tum grauiter tum verè ab Arthesiensibus & sociis, partim publicis, partim priuatis scriptis insimulentur, de violatione pacis Gandauensis, Edictique perpetui ac Vnio-

HAVROBA BIBLIOTEKA OHS IM. I. I. METHIKOPA

ac Vnionis ſubſecutæ, atque iſtinc cauſſam diſtractionis prouinciarum reuera manaſſe, nequaquam verò à Principe Parmenſi, quem notoriè conſtat hocce in negotio, haud aliud vnquam molitum fuiſſe, quàm quòd prouinciis varietatẽ exceſſuum (qui paſſim contra Deum, ac ipſum quoq. bonum publicum, non ſine manifeſta colluſione capitum dictorũ Deputatorum paſſim in prouinciis committebantur) diutius ferre & tolerare, præ animi honeſti magnitudine, nequeuntibus, necnon eam potiſſimùm ob cauſſam ad ſerenitatem reconciliationis cum ſua Maieſt. Catholica, quaſi ſuopte motu aſpirantibus, vltrò occurrendum iudicarit, atque eatenus ad nutantium ſolamen, & confortationem manum auxiliarem porrexerit. Quis enim Regi fidus miniſter? præſertim verò Deum timens, ſuauiſque (religionem in antiqua & auita puritate colens) oblata eiuſcemodi occaſione, tam pingui & opportuna, non idem præſtiturus fuerat? potiſſimùm certioratus de ſtudioſa fabricatione nouæ Vnionis Traiectenſis, quam certò conſtabat nonnullos belli, quàm pacis appetentiores, haud alio fine, ſcopoque & intentione tunc temporis procurare, quàm vt ne futuræ reconciliationi (de qua in præſentiarum nobis cura) etiam ſua obſtacula & ſcopuli deforent.

Ex ordine ſequuntur illa, quæ iuxta diſpoſitionem articuli noni, circa mutuam hinc inde reſtitutionem officiorum & functionum publicarum, parum diſcretè taxantur, nec id ſolùm, quinimò & prauis ſuſpicionibus animi ſubditorum præoccupantur, vt nec Ordinum deputati reuereantur hoc

hoc loco inculcare de vinculis, proſcriptionibus, cædibus, exiliiſque, caſu quo contingat miniſtros publicos (qui partes Regis conſtanter ſecuti fuerunt) rurſum, & quaſi poſtliminiò ad vetera exercitia ſuarum functionum redire. Ceterùm conſiderato opus, quàm manifeſta iniquitate & iniuſtitia hæc tam inciuilis prætenſio laborat. Prouiſio namque officiorum ab omni æuo ſpectauit exclusiuè ad S. Maieſt. tãquam ſupremum Principem, ac verum Patrem patriæ: eadẽ ſua Maieſtas olim ante præſentes motus prouidit iis quos iudicauit ad muneta publica capeſſenda præ ceteris magis idoneos, quorũ maior pars durante hac fluctuatione adhæſit Ordinibus & populo: minor autem, imò & pauciſſimi adhæſere ſuæ Maieſt. Accedit præterea, quòd Ordines, nulla licet auctoritate ſuffulti; tamẽ de facto proceſſerunt ad priuationem illorum qui regias partes tutati ſunt. Rex autem quod iure potuit conſimilis deſtitutionis nota etiam perſtrinxit omnes illos qui ſuas partes ſequi recuſarunt, vſque adeò, quòd hinc inde fulmina priuationũ in publicum manarint: quorum tollendorum ac purgandorum gratia, quid obſecro potuit ad veram animorum cõglutinationem, iteratò ſtabiliendam, iuſtius & æquabilius excogitari, quàm hinc inde priuatos & deſtitutos, rurſus mutuæ redintegrationis conſolatione liberaliter recreare, prout iuſtiſſimè non minus, quàm prudentiſſimè diſponitur articulo ſupra dicto nono? Et proinde velle nunc arcere à priſtinis ſuis functionibus ſolos Regi fidos miniſtros; quid hoc aliud foret quàm prorſus eneruato omni vigore & ſucco

HAVROBA BIBLIOTEKA OHYM. U. MEDIM. OBA

ſucco articuli primi, diſponentis de vniuerſali obliuione omnium eorum quæ hactenus proceſſere, veteres ſuſpiciones, odia, ſimultates & diffidentias ter maximo præiudicio ſalutis & tranquillitatis publicæ denuò inſtaurare? Foret enim miniſtris Regiis tum graue, tum probroſum nimis, ad eum modum à ſuo Rege ac Principe deſeri; vt ne hoc ſilentio præteream, exemplum turpiſſimum fore, & omnino nihil tam pugnare cũ officio, imò & compendio ſuæ Maieſt. quàm ad eiuſcemodi contumeliam ſuis inferẽdam quoquo modo conniuere. Nam id ſi faceret, quis obſecro negarit, quin vltra alia grauiſſima diſpendia, in poſterum reſultatura, etiam omnium iudicio cenſendus foret, apertè confiteri armorũ & cauſſæ iniuſtitiam, haud dubiè à parte ſua hactenus ſtetiſſe? Quamobrem ſi deputati Ordinum, proprij honoris conſeruandi gratia, nolint videri in armis cõtra fas & æquũ fuiſſe; ratio ſanè dictat, tantundem vt permittãt Regi ſuo Principi naturali, à quo & eiꝰ maioribus ſubinde tam ingentia beneficia accepère. Eſt profectò modus in rebus, nec ſemper prodeſt Principis exiſtimationem affricaſſe nimis, quàm cordati ſubditi iure aſtringuntur, nõ minus quàm propriã mordicus tueri, & quamlatiſſimè tũ domi tum foris propagare. Eſt enim honos & reputatio ipſius Principis haud leue decoramentum populi; ſicut etiã lege diuina veritum, Principi populorũ, tanquam ſubditorum cenſuræ exempto, maledicere, aut illius famã vllius defectus aſpergine quomodolibet apud poſteros maculare: quod indubitanter ſecuturũ foret, caſu quo Rex ſuos miniſtros

ſtros ad eum modum floccipẽdens, culpam belli nedum præſentis, quinimo & præteriti, ſaltem per obliquum pateretur nomini ſuo aſcribi, tanquam miniſtris ſuis, parum abeſt quin noxæ deditis, cæteris autem contrariis, & iis quidem ſolis, veluti ob rem præclare geſtam, gloria & honore coronatis.

QVIBVS proxima ſunt decreta articulorum xvj & xvij, ſtatuentium de ciuitatibus, oppidis, caſtris, fortalitiis, armis & munitionibus, Gubernatori generali ex arbitrio ſuæ Maieſt. deſignando tradendis: quorum decretorum licet tam exuberans ſit æquitas, quòd vel cælitus deprompta videri queant; tamen nec reprehenſionis acrimoniam euitare potuere, quæ iis potiſſimùm nixa videtur rationibus, quòd olim in conuentu Bredenſi, ſoli Hollãdi eiuſcemodi quid recuſarint: quòd etiam Principi Auraico prærogatiua gubernationis hac via adimatur; quòd non niſi ſobria futura ſecuritas prouinciarũ in vniuerſum, tamquam ex ſola (vt aiunt) fragilitate regij iuriſiurandi, ſuum munimen & aſſecurationem conſecutura. Poſterius, quòd in regnorum ac principatuum cauſſis permodica ratio iuriſiurandi haberi ſoleat, ipſoſque denique pontifices, circa abſolutiones à iuramento plerumq. indulgentiores ſe exhibere, quàm vt magnoperè illos fatigare ſit neceſſe. En quibus coloribus, vt ne dicã præſtigiis, infelix populus à guſtu ſeu approbatione articulorũ propoſitorum alienatur! Quaſi verò difficile ſit iudicio penetrare, quorſũ hæc maleſuada cõſilia, ſcriptaq. indecora tendant! Verùm omittãtur iſta; tantumq.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

seriò expendatur, quàm prorsus congruat iuri & rationi, Quòd sua Maiestas Catholica paratissimus, in signum veræ ac perpetuæ reconciliationis, Ordinibus ac populo reddere vniuersa, quæ hactenus vllo iusto prætextu sibi competierũt, etiam vice versa nunc beneficio præsentis recõciliationis pari passu recuperet sua : alioqui quid profuerit suæ Maiest. nihil non Ordinibus & populo clementer indulsisse, deque suo iure plurima cessisse, & postremò etiam mero pacis studio, arma in vniuersum deposuisse; si nihilominus iis rebus ac preeminentiis spoliatus manere cogatur, quarum contemplatione arma potissimùm susceperit. Sed quid opus est huic negotio prolixiùs immorari, quandoquidem res ipsa tantoperè sit iusta, debitaque ac prorsus ordinaria? Quod etiam si in pactis articulorum silentio tecta aut præterita mansisset; tamen realiter præstanda, imò & suæ Maiestati, tãquam naturali ac iurato principi patriæ, in testimonium redintegrati amoris, atque adeò & obedientiæ debitæ, ab Ordinibus & populo sponte offerenda fuerat: Prout etiam illa, quæ à deputatis Ordinum litteris inseruntur, circa defectum securitatis prouinciarum, longè vaniora sunt, quàm vt vlla confutatione egeant; eo maximè quòd ipsemet tenor eiusdem articuli decimi septimi, tanquam prouidus interpres suimetipsius, luculenter testetur, quanta dexteritate ab amplissimo vestro consessu prospectũ sit, ne quis fucus aut dolus ab eiuscemodi obsequio redintegrãdarum ciuitatum, & fortalitiorũ, Ordinibus vel subditis vllo vnquã tempore pertimescendus veniat. Non enim simpliciter disponitur, quasi res illa, quæ forsan suspicionibus nõnihil obnoxia videri poterat, solius Gubernatoris generalis arbitrio absolutè cõcredita censeatur: Sed quòd teneatur ex consilio grauissimorum Senatorum supremi Concilij rerum status, ea ipsa loca quæ ab omni memoria præsidium habuere, rursum custodienda concredere naturalibus patriæ, & quidem astringendis peculiari iureiurando, de conceptis hisce articulis firmiter obseruandis. Quocirca si illi, quibus hæc ipsa fortalitia committerentur, naturales erunt subditi; si denique eiuscemodi tales per Gubernatorem generalem cooptandi erunt, de gremio subditorum iuxta consilium Senatorum Concilij Status, qui & ipsimet quoque Senatores naturales erunt: Quis tandem poterit reperiri adeò suspicax doli, cui saluo pudore liceat profiteri, vllum hîc locum probabili suspicioni relictum iri? At esto, quòd ne hæc quidem perabundans cautela ad plenissimam securitatem sufficere iudicetur; tamen propterea nec oppugnandus erat præsens iste articulus; quandoquidem si ad plenitudinem securitatis vltra ea quæ in dicto articulo tum præuisa tum prouisa reperiuntur, quicquam adhuc pro cumulo desiderabatur: Cui dubium quin ad ipsum, qualecunque tandem fuerit, largissimè suppleri potuerit ex dispositione articulorum postrema? Quo loco visum fuit amplissimo vestro consessui, non sine iustis de causis ea quæ spectant ad certitudinem stabilis ac firmæ obseruantiæ huius Pacificationis, vsque in finem consummati negotij principalis reseruare.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

LEVIORIS præterea momenti sunt illa quæ prolixa verborum serie inter cætera litteris subnectuntur, de actionibus inclytæ memoriæ quondam Ioannis Austriaci. Nam ille quisnam, qualis & quantus, dum vixit, reuera semper fuerit, quæque sua intima consilia studiaque olim extiterint, haud opus est, mortalium dubiis testimoniis pugnando conuincere, postquam misericors, omnipotens & ineffabilis Deus tot & tantarum illustrium victoriarum opportuna largitione, satis superq orbi terrarum, quasi digito ostenderit, quam opinionem de zelo, de pietate, deque illæso animi candore eiusdem inuictissimi Austriaci, ac postremò etiam de iustitia suæ caussæ nos mortales (qui specie recti adeò frequenter fallimur) concipere voluerit: tantum illud subiecero, quòd si Ordines Belgij reuera, quæ publicam concernunt salutem, saperent, simul & nouissima prouiderent, nequaquam se continere possent, quin immaturum obitum tam excelsi & magnanimi viri, perpetuo luctu prosequerentur. Illud autem silentio præteriri nequit, quod pænè eodem contextu suggeritur, de Edicto perpetuo ab Hollandis Zelandisque olim apertè repudiato. Quasi verò ex ea re non potiùs Hollandorum perinsignis contumacia, quæ iustitia defectionis à suis confœderatis, plus quàm euidēter detegatur. Ratio autem in promptu est, quòd vniuerso Belgio notoriū sit, Edictum, de quo agitur, non clam sed palam, non in priuatis & particularium prouinciarum comitiis, sed in publicis & in iis quidem generalibus vniuersorum Ordinum Belgij, nimirum in ipsa

in ipsa ciuitate Bruxellensi (vbi etiam Hollandi Zelandique suos peculiares nuncios & legatos in numero competenti, sua libera suffragia depromētes, tunc temporis ibidem præsentes habuere) tandem post varias communicationes vltrò citroque cum ipsomet tunc superstite Seren. Ioanne Austriaco habitas conceptum, contextum ac deinceps sollemniter cōmologatū fuisse. Vnde liquidò constat, non minùs ipsos Hollandos, sociosq. quàm cæteros Ordines ad eiusdem Edicti, ex pluralitate suffragiorum ritè ac legitimè stabiliti, inuiolabilem obseruātiam quouis iure astrictos fuisse. Est enim iure non minùs cautum, quàm ex naturali ratione euidentissimum, haud esse in potestate paucorum, qui sint de collegio, dum lubet, se eximere à vinculo seu nexu publici decreti. Quod maiori ac saniori parti comitiorū placuit, præsertim verò cùm infitias ire nequeunt, se nedū cum aliis deliberationi interfuisse; verùm etiam ad perorationem vsque patienter auditos fuisse. Quid multis? quoquò se vertant supradicti deputati Antwerpienses, fateantur necesse est parum sincerè minúsue cōsultò se facere, qui suggestione eiuscemodi leuissimorum argumentorum, studeant apud imperitū vulgus hosce articulos, optima fide ad Belgij salutem propositos, tamquam captiosos aut minimè tutos diffamare: siquidem longè facilius sit populum anxiis opinionibus semel imbuere, quàm imbutum postea dedocere.

EODEM spectant, quæ de Barone Sellio, olim regio Commissario, deque sua instructione ac litteris regiis, simul & ipsa iustificatione Ordinum,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

ob pacem Gandauensem minùs rotundè seruatam, ac denique ob religionem Catholicam nimis temerariè variis in locis, etiam extra limites Hollandiæ, Zelandiæq. violatam & conculcatam, longè prolixiùs quàm solidiùs demonstrantur. Nam ipsa veritate verius est, quòd sua Maiest. nec non & Austriacus Gubernator generalis, nihil vnquam ardentioribus votis optarint, quàm pacem Gandauensem, Vnionemque subsecutam, vnà cum Edicto perpetuo, adeò solemniter firmato, in omnibus suis articulis, nullo prorsus excepto, ad amussim omni tempore, & quauis occasione inuiolabiliter seruare; nec dubium quin effectus omni ex parte subsecuturus fuerat, nisi Princeps Auraicus, vnà cum suis affeclis, nondum satiati turbis annorum præcedentium, ilicò post gubernaculis Austriacum inauguratum, cœpisset animum conuertere, non solùm ad calumniosissimas quasq. & reuera contortas articulorum dictæ pacis interpretationes; verumetiam ad perpetua insidiarum conamina, tam contra personam Gubernatoris Austriaci, quàm ceteros ministros regios, à se suisq. studiis (vti suspicabatur) alieniores, quàm ferre poterat. Qua de caussa optimus Rex, planè inuitus, & prorsus cõtrà quàm animo secum constituerat, cogebatur arma iteratò resumere, gladioque vltore iniuriam sibi, ac fratri Austriaco, recenter à malè recõciliatis subditis illatam (quoad eius in se fuit) propulsare. Vnde etiam occasio nata, quòd dicto Barrone Sellio, in Belgium ab se destinato, Ordinum deputatis notificari curauit, non tam ipsam pacẽ Gandensem sibi displicere, quàm iustis-

iustissimis de caussis se diffidere, quòd Princeps Auraicus vnà cum suis, eadem pace secundùm verum & genuinum intellectum vnquam rectè vsuri forent. Quod ignorare nequibat, quàm parum sincerè tractati fuerant Harlemenses, Amsterdamenses, ac pleræque aliæ ciuitates, iugum gubernationis Auraicæ recenter tunc subire coactæ; vt ne taceam de plerisque dogmatis emissariis, ad seducẽdum populum in religione, & consequenter quiduis audendum, contra salutem publicam ter maximo numero, contra iurata pacta Gandensis pacis, in viscera Catholicarum prouinciarum sparsim submissis. Verum esto, quòd Rex ob caussas suprà dictas, seu alias quaspiam grauiores, præsertim verò ob minus candidè adimpleta promissa, tam religionis quàm auctoritatis sibi debitæ, à pace Gandensi, se tunc forsan alieniorem ostendisset: tamen quid responsuri sunt Deputati ad obligatoria pacta, quibus obstricti fuêre suis comprouincialibus, atque adeò etiam Deo Omnipotenti, quem, sollemniter iurantes pacta Vnionis generalis, sibi tum testem, tum vltorem constituêre, casu quo paterentur extra Hollandiam circa religionis Catholicæ obseruantiam vllam infractionem obrepere? qua in re an fidem sociis promissam opere compleuerint, ipsi viderint: imò si lubet in testes appellentur Artheſienses, Hannonienses, Duacenses, Insulenses, Valenchenses, Mechlinienses, Buscoducenses, & plerique alij, quos gratia Dei illustratos, nulla profectò ætas, pro merito virilis constãtiæ erga nostram auitam religionem, vllo vnquam tempore lau-

HAVROBA BIBLIOTEKA OHV IM MECHLIR OBA

dauerit satis. Sunt enim illi qui decreta pacis Gandensis, Edictique perpetui & Vnionis subsecutæ, ad amussim seruantes, summo iure nunc conqueruntur, à cæteris Ordinibus, contra omnem rationem se desertos fuisse; & ob id nec magno odio digni, multo autem minus detestabiles (vt verba sunt litterarum) iudicandi videntur illi, qui de Ordinũ inconstantia, vt ne addam de periurio, subinde suas querelas coram populo deponunt. Prout etiam minimè decet, culpã adeò notoriè propriomet vitio contractam, in Regem, suosq. Duces & Consiliarios, vel alios quoslibet reijcere; sed potiùs succedanea emendatione, quod peccatum est, humiliter & obsequiosè corrigere. Sed quid agas? noua religio nouos inuexit mores, vtinam ne peiores. Nemo sanè videri vult labem contraxisse; vnde nec mirũ superos in populorum flagellis adeò rigorosè & inclementer adhucdum perseuerare.

SVPEREST autem paucis confutare rationes, quibus iustificatio caussarum alteratæ veteris religionis potissimùm fortificari videtur. Principio namque asseritur, nouam caussam superuenisse. Illud autem quotiescumque accidit, toties obligatum à vinculo, cui astrictus reperiatur, iure solutum censeri. Pulchra (me herclè) futura excusatio, si modò ne pariter iuris foret notorij, omninò frustra pro excusatione excessus allegari superuenientiã caussæ nouæ, quam quis ipsemet suo vitio seu dolo caussare nequaquam erubuerit. Nam qui dolo seu lata culpa desiit possidere aut ea posse ad quæ ex pacto tenebatur, haud dubiè condemnandus venit, perinde ac si possideret & posset. Etenim

nim quæ latior culpa committi potuit; quàm quòd deputati Ordinum, post exclusum Gubernatorem Austriacum, tunc rerum absolutè potiuntes, summam regiminis vltrò concredidere Principi Auraico & suis? quorum mores & impetuosa studia nouãdæ religionis nequaquam ignorare potuerunt. Accedit præterea, quàm manifestè collusserint, tam circa temerariam destitutionem pænè omnium magistratuũ Catholicorum, quàm etiam subdolã inuectionem Pacis (vt aiunt) religionis. Qua quidem fenestra semel aperta, quid enim tunc Ordines minus commisisse iudicandi sunt, quàm si ex proposito in omnem apostaticam licentiam habenis laxatis, ipsam demùm religionem Catholicam quorumlibet sectariorum cupidini totaliter prostituere animus fuisset? Reliqua verò, quæ ampliandæ iustificationis ergò accumulantur, de necessitate publica, deque ciuilium dissensionum euitatione, aut declinatione periculorum hostilis exercitus: illa vt nec succum præ se ferunt, ita nec responsum merentur. Nam quæ potuit tanta fuisse necessitas publica, quin si Ordines aut magistratum gerere, aut vigilantis Gubernatoris generalis officio fungi didicissent, potuissent vtique, si modò seriò conari libuisset, populum in officio, imò & ipsum quoque Principem Auraicum intrà cancellos sui iuramẽti continuisse? Neque enim ipse tantus erat Auraicus, quin freno tempestiuè adhibito, tum Regi, tum etiam ab ausu temerario coërceri potuerit; neque etiam tam beneficè de Ordinibus vnquam ipse meritus, quòd beneficiorum respectu insolescens,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.МЕЧНИКОВА

sibi vllam proteruiam vel contumaciam excusabilem fore ausus fuisset sperare. Siquidem probè adhuc memor, in quantas olim angustias, post ereptam Zelandis insulam & ciuitatem Xirisensem, coniectus fuerat. Et quantoperè hoc ipsum, quod interea tum ad vitam, tum fortunas sibi accreuerit, Ordinibus Statuum, velit nolit, acceptum ferre cogitur.

OMNIVM ferè prædictorum fragilissima sunt, quæ circa extenuationem litterarum, ab Ordinibus iam antea, tum ad Cæsarem, tum Regem super articulo religionis datarum, non sine manifesta perplexitate scribentis, quodammodo ex occasione & non nisi obiter inseruntur. Fuerit enim litterarum dictator quicumque velit, haud dubiè consultius fecisset, si ne quidē illas attigisset. Nam vt plurimæ aliæ omittantur: tamen omnium ad instar esse poterit sola illa Epistola, quæ auspicio vniuersitatis Ordinum Belgij, & quidem de expresso eorundem Mandato, per Cornelium Weelemans ex oppido Bruxellensi, octaua die mensis Ianuarij, anno natiuitatis Domini M.D.LXXVIII. etiam post inchoatos posteriores motus, necnon aduentum Archiducis Matthiæ, ad Cæsarem scriptæ reperiuntur: cuius quidē Epistolæ clausulam, huc respicientem, ad pleniorem veritatis facti elucidationem, hoc loco de verbo ad verbum inserere libuit. Et in primis Maiest. suam precamur, vt nos aduersus fictas inimicorū nostrorum calumnias, apud Regem Catholicum, Principem nostrū clementissimū, fauore suo iuuare, & quo cœpit amore prosequi dignetur; sanctę Maiest. tuæ affirmantes

tes & pollicentes, nos nunquam fuisse, nec esse, nec fore alterius sententiæ, quàm vt hîc Catholica S. Romanæ Ecclesiæ religio colatur; & suæ Maiest. regiæ semper constet auctoritas; quod superioribus nostris litteris Maiest. tuæ cādidè sumus professi, & in primis cupimus esse persuasum, &c. En ipsamet verba litterarum, quorum tanta est claritudo & perspicuitas, quòd citra præsumptionis temerariæ grauissimam notam, haud possint vllatenus in dubium reuocari. Ceterùm quàm probè & quàm plenè Deputati Ordinum speciosis suis pollicitationibus, Cæsari tanto principi spontè obtrusis, satisfecerint; miserabilis & confusa rerum facies, quæ nunc in Belgio apparet, eheu nimis luculenter testatur. Illud autem omnē discretionis metam transcēdit, quòd cùm sciant eiuscemodi litteris se quodammodo lethaliter iugulari; tamen conuicti turpitudinis, errorem agnoscere, seu (vt dici solet) manus dare recusant.

POSTREMO autem, quæ sequuntur de blandimentis (vt aiunt) ostentatæ pacis Gandensis, deque liberatione Comitis Burani, ac insuper de priuata tractatione instituenda cum Principe Auraico, simul & eneruatione decretorum Archiducis Matthiæ, ac tandem etiam de omissa capitulatione securitatis pro Regina Angliæ, Archiduce Matthia, Duce Alençonio, aliisque confœderatis, haud sanè aliò spectare videntur, quàm in vniuersum bonis iuxtà ac malè affectis prouinciarū subditis, hos ipsos articulos tanta maturitate digestos reddere, nedū inuisos, quinimò & detestabiles. Est enim vt nihil facilius quàm crudis interpretationibus

HAYDOA ΠΡΩΤΟΠΕΡΑ ΟΗΥΜ. Ι.Ι. ΜΕΤΗΙΟΒΑ

tionibus dulciſſima quæq. exacerbare, necnon & rebus clariſſimis caliginoſas nebulas offundere. Ita ſanè miranda res eſt, cuiúſnam impulſu, aut quorum intemperantia conſiliorũ, hæc tam cauilloſa in vulgus ſpargãtur. Nam ſi ad ſuſpecta blandimenta pacis Gandauenſis reſpondẽdum fuerit, quis vnquam ſe oſtendat tam alienum à fiducia de proximo, qui arbitretur hoc loco iuſtam rationem ſubeſſe diffidendi de Rege, qui educto milite peregrino, armiſq. depoſitis, haud poſſet ex longinquo, etſi maximè velit, Ordinibus negotium ex abrupto faceſſere? Diſpar autem ratio eſt in prouincialibus, qui ſoli gubernaculis prouinciarum præficiundi, quandocumque volent, arma ad tutelam ſui ſemper ad manũ ſunt habituri, nec ſupplantari poterunt. Longè autem minoris conſiderationis eſt ipſa particularis tractatio cũ Auraico, ex qua proculdubiò reſultatura fuerat relaxatio Comitis Burani ſui filij; caſu quo Princeps circa filij ſalutem ſtudioſior tractationem nõ reiecisſet. Quis enim conferat beneficium in inuitum, aut quæ ratio eſt, quòd propter peculiarem cauſſam Principis Auraici, hominis notoriè peregrini, publica cauſſa prouinciarum ſuſpenſa hæreat? Prout etiam ridicula ſunt, quæ de eneruatione decretorum Archiducis Matthiæ adducuntur: Cùm certũ ſit per articulos ſibi parem auctoritatem indulgeri, quam legitimorum Gubernatorũ generalium quiſquã ante ipſum habuerit. Quæ res ſi nondum ſufficiat, neceſſe eſt, quòd Ordines fateantur, ſe dictum Archiducem olim non tam pro Gubernatore generali, quàm cum excluſione Regis pro Principe

Hi colores apud cordatos exigui momenti ſunt: reliqua etiam quò pertineãt, nemo non perſpicit, & iam antè diſcuſſa & diſſoluta ſunt.

cipe & hero ſuſcepiſſe: quod ſanè piaculum foret cogitare, abſit ita factum fuiſſe ab Ordinibus, vt prætenditur. Quod verò attinet ad omiſſam capitulationem pro regina Angliæ & ſociis, quodque educti militũ Hiſpanorum præfigẽdi termini certitudine careat, haud ſanè fieri nequit, quin is qui Ordinũ litteras dictarit, aut parum diligenter tenorem articulorũ excuſſerit, aut planè ſecum conſtituerit cauillando (vti dici ſolet) nodum quærere in ſcirpo. Nam & de Regina Angliæ ac Duce Andegauenſi expreſsè diſponitur, quòd ſub tractatu erunt comprehenſi, quodque de capitulatione ſecuritatis tractabitur ſuo ordine & loco, & alioquĩ de termini præfixione decernitur, quòd cõmuni partium conſenſu ſtatuendus erit. Quæ quidem ſupradicta reſponſio meritò ſuffectura videtur: ita vt ne quidem operæpretium exiſtimetur ad controuerſum articulum religionis quicquam peculiariter reſpondere: quãdoquidem à me ſperetur, quòd Celſs. veſtræ non ignorent eiuſcemodi articulos, non tam à Rege quàm à ſolo Deo, qui incommutabilis eſt, omnino dependêre, vtq. etiam adhuc probè meminerint illorum quæ ſuperioribus menſibus circa contenta eiuſdem articuli, ex opinione ac deſiderio ſuæ Maieſt. Catholicæ, à me ſatis ſuperque latè expoſita fuere.

XXXI. OCTOB. legati Ordinum litteras ab iiſdem Ordinibus acceperunt, quibus adiunctæ erant litteræ ad Dominos Cõmiſſarios datæ; quas iuxta mandatum illorum incontinenti Celſs. & Dign. eorum ipſimet tradiderunt.

LIT-

НАЦІОНАЛЬНА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

LITTERÆ ORDINVM AD LEGATOS SVOS.

Dominis, Domino Duci Arſchotano, Principi Chimaici, Porciani, Comiti Bellomontij, &c. Equiti Ordinis aurei velleris: Reuerendis in Chriſto patribus, Abbatibus S. Gertrudis & Marolienſi, ac aliis Dominis Legatis Ordinum generalium Belgii; Coloniæ.

ACCEPIMVS epiſtolas veſtras, tam xxvij. Septembris quàm x.xiij.& xiiij.huius menſis datas, vnà cum ſcriptis adiunctis, quorum in iis fit mentio. Ad quas iam ſingulatim vobis non reſpõdemus, propter ſubitaneum diſceſſum huius tabellarij: vobis autẽ officiosè gratias agimus,pro bene nauata opera ac crebris iſtis ſignificationibus;orantes ſedulò,vt in ea velitis porrò pergere, epiſtolamq; his incluſam tradere Dominis Principibus Commiſſariis Cæſar. qui iſthic ſunt,& iuxta tenorem eius vos comparare, interea dum expectatis vlterius noſtrũ reſponſum, intra paucos dies ad vos mittendum. Dominus Deus largiatur, vt vobis ex animo ſuccedant quæ piè & ſanctè deſideratis. Feſtinãter Antuerpiæ xxij. Octob. M. D. LXXIX.

V. Ex.PP. & Dignitatib. officiosè addicti
Ordines generales Belgij;

J. Houfflin.

LITTERÆ ORDINVM AD DOMINOS COMMISSARIOS.

Reuerendiſsimi, Illuſtriſsimi, Generoſe, Nobiles & circumſpecti.

LITTERAS principales Celſs. & Dign. veſtrarum xxviij. Septembris & iij. Octobris ſcriptas, nondum accepimus,ſed tantùm exempla illarum quæ litteris Ordinum Brabantię adiuncta fuere: & quamuis indies illas expectemus; tamen quia omnium prouinciarum Deputati, cum poteſtate ſtatuendi de ſumma rerum, xxv. præſentis menſis Octobris Antuerpiæ adfuturi ſunt, & omnes mortales erecti ac alacres, deſiderant euentum actionum, in veſtro celeberrimo conuentu habitarum; officij noſtri putauimus, abſque vlteriore contractione Veſtras Celſs.& Dign.de futura illa, atque adeò inſtãte Ordinum communicatione ac reſolutione certiores facere, atque rogare, vt cùm hactenus ſtudio reconciliationis, & pacis conſtituendæ inter Regem Catholicum & ditiones Belgicas, per tot menſes neque ſumptibus,neque laboribus pepercerint, nunc in extremo actu dignentur non vſque adeò præcisè, & tam paucis diebus(vt dictæ litteræ continent)diſceſſum ſuum concludere, ſed paulò diutiùs ſubſiſtere, donec Ordines ſe reſoluant & reſolutionem ſuam tranſmittãt. Quod vt intra paucos dies poſt finẽ Octobris fiat, ſedulò curamus. Nam intereſt prouinciarum maximè, ſemel finem imponi huic pacificationis negotio, atque omnes intelligunt pacis ſerenita-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

ſerenitatem belli calamitatibus potiorem eſſe, modò ſit tolerabilis ac ſecura: ideoque perſuaſum cupimus Veſtris Celſs. & Dign. ea quæ præcedenti noſtro reſponſo continentur, à nobis nullius detorſionis aut ſiniſtræ interpretationis conſciis bona fide ſcripta eſſe, non ad impediendam ſed ad promouẽdam pacem, atq. vt maturè remedia adhibeantur malis atq. periculis, quorũ prorogatio dubitationem in amplectẽda pace prouincialibus poſſet inijcere. Neq. deſideraui mus, quaſi hactenus nihil actum eſſet, propoſitionem nouorum articulorum, ſed propoſitorum moderationem & ſecuritatem ampliorem, tam pro iis qui Catholicam religionem Romanam, quàm qui aliam religionem profitentur. Nam quamuis & Cæſaris & Celſs. & Dign. veſtrarum maxima ſit auctoritas, & firmum propoſitũ ſumere obſeruandi omnia; tamen propter experimenta ſuperiorum temporum, non ſine ratione vlteriùs prouinciarum quieti proſpectum cupimus. Nam vt alia prætermittamus, notum eſt quàm parum valuerint preces & interceſſiones Imper. Ferdinandi, & Maximiliani, ac omnium propemodum Principum Europæ, ad cohibendum furorem Ducis Albani, aduerſus innocentes, & nos, quorum gratia & beneuolentia receptus fuerat; & quàm irrita fuerint apud Principem Parmenſem poſtulata moderni Cæſaris ac veſtrarum Celſs. & Dign. de ceſſatione armorum, & indutiis, durante communicationis tempore: ita vt ſperemus Celſs. & Dign. V. ſollicitudinem noſtram in auertendis periculis quæ inſtare videntur, non prorſus improbaturos; præſertim cùm ſi aliquid

aliquid minus firmum aut detortum in reſponſo illo noſtro inueniatur, & oſtendi poſſit, parati ſimus meliores rationes abſque vllo contendendi ſtudio admittere, & per omnia rationẽ ſequi, atq. iuſtitiæ acquieſcere. Et quòd termini prorogatio ac plenioris Mandati tranſmiſſio dilata fuerint, exiſtimauimus Celſſ. & Dign. V. nunc ſatis compertum eſſe, id accidiſſe, neque per negligentiam, neque per contemptum Maieſtatis Imper. aut veſtrarum & Celſſ. & Dignitatũ, quas meritò ſacroſanctè colimus & veneramur; ſed ob cauſas & difficultates, in dicto reſponſo noſtro comprehenſas, quas auxerant funeſti belli acerbitates, & plerique conſiliis aduerſariorum nimium patrocinantes, item alij imperatis eorum temerè acquieſcentes, qui à nobis deſciuerunt, augendo diſcordiam prouincialium. Et proinde rogamus Celſſ. & Dig. V. benigniùs omnia accipere, & interpretari velint, atque in cõſtantia propemodum pacis publicæ præſtandæ dies aliquot, vltra terminum in dictis litteris præfinitum, Coloniæ morari, donec abſolutum Ordinum reſponſum acceperint, & quæ in negotio Pacificationis reſtant, peregerint, atque abſoluerint. Nos pro multiplici & ſingulari beneuolentia, prouinciis Belgicis exhibita, omni ſtudio ac conatu gratiam referre perpetuò conabimur. Antwerpiæ xx. Octob. M. D. LXXIX.

Veſtrarum Celſſ. & Dign. addictiſſimi

Ordines & Status prouinciarum Belgij.

Ad mandatum præfatorum Ordinum.

S XIII.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

XIII. Nouembris, legatis Ordinum ad concilium vocatis, Domini Commissarij per Cancellarium Treuerensem paucis coram se declarari faciũt, qua spe huc aduenissent, qua fide negotio isti præfuissent, quantum nunc temporis lapsum esset, nec tamen ad varias ipsorum admonitiones resolutionem Ordinum aduenire: res suas proprias diuturniorem moram ferre non posse: quapropter statuisse se finem huic negotio imponere, vt ex scripto, quod ipsis Recessus loco prælegi deberet, cognoscent.

ATQVE tum lecto eo, legati respondebant, se cum dolore repentinum illum & inopinatũ Celss. & Dign. ipsorum discessum intelligere: rogare vt exemplum istius scripti sibi communicaretur, & deliberandi super eo tempus in alterum diem vel saltem ad meridiem vsq. daretur. Exemplum igitur cõcessum fuit: eo à prandio accepto & à legatis perlecto, subiectum illi scriptum conceperunt, altero die hora septima, vt præfinitũ erat, exhibuerunt. Ac licet in scripto isto suo, quatuor tantùm dies, ad magis Celss. & Dign. eorum permouendas, postularint; ore tamen simul declarabant, se incontinenti nobilem aliquem cursorem ad Ordines missuros, quem sperarent intra sex dies reuersurum. Ad eam petitionem responsum iis fuit, fieri posse, vt quidam ipsorum maneant, quosdam verò abitum parare.

RE-

RECESSVS DOMINORVM COMMISSARIORVM.

OPTARENT Sacr. Cæs. Maiest. Commissarij, grauissimum hoc Belgicę pacificationis negotium, tantis laboribus, molestiis & sumptibus, per tot menses tractatum, ad eum finem, quem & sua Maiest. & proculdubio boni omnes expectarunt, perduci, & pacem, pristinúmque nitorem Belgio Dei ope & suæ Maiest. auctoritate, dominorúmque Commissariorum opera & labore restitui potuisse. Nihil enim iis gratius contingere potuisset, quàm si ingentis sumptus & operæ laboriosissimæ, negotio huic impensæ, dulcissimum hunc fructum, videlicet Belgij cum Rege & Principe suo legitimo reconciliationem, veramque pacem, quietem & tranquillitatem producere, & Deo pacis auctori, Christianæq. reipubl. atque æternitati offerre & consecrare licuisset.

CVM verò huius voti sui compotes fieri non potuerint, patienter id quod mutare non possunt, ferendum, & tractationi huic non eum, quem cuperent, sed quem possunt, finem imponendum censent. Vt autem varia sunt hominum iudicia, & quidam fortè temeritati adscribent, quòd graue hoc onus, nulla conciliationis spe apparente, susceptum & non protinus repudiatum sit, quidam fortè maiorem diligentiam, concessionem vel indulgentiam necessariam fuisse, dominosq. Commissarios aliquid prætermisisse affirmabunt: quidam verò existimabunt nondum huic tractationi finẽ imponendũ, sed illos qui consiliũ mutaturi,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

morum purgaturi, & condiciones pacis hîc propositas acceptaturi essent, vel diutiùs expectandos, vel viam illis aperiendam & demonstrandam fuisse, qua sine vllo impedimento, vel scrupulo ad optatam pacis metam tandem peruenire, & huius tractationis fructum aliquem, quamuis seriùs, percipere aliquando possent: Ita Domini Cõmissarij, ad Cæs. Maiest. & suam auctoritatem tuendam & conseruandam, & quorundã iudicia conuellenda, aliorũ verò ignorantiæ, & tardiori pacis acceptationi succurrendũ, non potuerunt prætermittere, quin loco recessus, & conclusionis huius tractatus, ea quæ sequuntur, tam Catholici Regis Mandatario Duci de Terranoua, quàm Legatis Ordinum Belgij exponerent.

Et primò quidem silentio prætereundum non arbitrantur, quòd eo ipso tempore quo suæ Cæs. Maiest. placuit, onus sedandi hos motus Belgicos humeris eorum imponere, ex tantis turbulentissimarum tempestatũ procellis ac fluctibus, quibus Belgiũ agitari, & tantùm non submergi intellexerunt, aliquẽ timorem metumq. conceperint, malum hoc tam altis radicibus multorum mentibus infixũ esse, vt illi efficacia & salutaria remedia adhibere, & tot vulnera, tantùm non lethalia, per hanc tractationem curare & sanare, vel impossibile, vel difficillimum futurum esse.

Et eam ob rem, aliasque non leues ob causas, variis excusationibus tam arduum onus submissè & diligenter deprecari, & euitare conati sunt. Ceterùm sua Maiestas tanto, tamque verè paterno erga calamitosas Belgicas ditiones affectu & amore flagrauit, vt à sententia sua nullis excusationibus se dimoueri passa sit, sed toties clementissimè ad Dominos Commissarios eo nomine scripserit, vt suæ Maiest. piæ voluntati diutiùs resistere nec potuerint, nec debuerint. Eo autem libentiùs hoc onus sibi imponi passi sunt, quòd populos Belgicos vicinos suos, lamentabili hoc bello per tot annos miserè attritos, commiseratione dignos existimarunt, iisque ex animo condoluerunt, & spem non vulgarem pacis conciliandæ ex eo conceperunt, quòd Regem Hispaniarum nihil aliud ab Ordinibus & subditis Belgij petere & exigere intellexerunt, quàm vt Catholica Romana religio conseruetur, & Regi sua auctoritas & obedientia integra maneat & præstetur, quódque ex litteris Ordinum Belgij octaua Ianuarij, anno 78. ad Cæs. Maiest. datis (quarum exemplar sua Maiest. ipsis transmisit) cognouerunt, Ordines Belgij suæ Maiestati sanctè affirmasse & pollicitos esse, quòd numquam fuerint, nec sint, nec futuri sint alterius sententię, quàm vt in Belgio Catholica sanctæ Romanæ Ecclesiæ religio colatur, & sua Regi cõstet auctoritas. Cùm igitur in hoc totius controuersiæ statu, à Regis sententia sancta promissio Ordinum Belgij non differre videretur, tanta spes pacis constituendæ affulsit, vt Domini Commissarij eo promptiùs & alacriùs hoc munus susceperint: præsertim cùm Ordines Belgij in Wormacienſi etiam conuentu anno præcedenti celebrato, tam aliorum Principum & Ordinum Imperij, quàm ipsorum Dominorum Commissariorum legatis, patriæ suæ calamitates diligenter exponi,

HAGRODA BIBLIOTEKA OHVM: H. MEIBOMIORVM

poni, ipsorumque auxilium & fauorem implorari, & tam Catholicæ Romanæ religionis conseruandæ desiderium, quàm fidē & obseruantiam suam in Regem Hispaniarum alligari curarint, & postea etiam pari ratione, quemadmodū per Regem factum, Cæs. Maiest. causam hanc submiserint, & in Colonienſem hanc tractationē consenserint. Quis enim non speraſſet, parte vtraq. circa hunc controuersiæ statum in eandem sententiam concurrente & consentiente, pacem Dei ope conciliari posse? Quis Ordines & subditos Belgicos, tantas patriæ suæ calamitates, & Cæs. Maiestatis & Imperij Ordinibus, ipsorumque dominorum Commissariorum legatis exponentes, eorumque auxilium implorantes, vel auctoritati eorum quorum auxilium implorarunt, parum delaturos, vel ad hunc conuentum, per Cæs. Maiest. indictum, legatos suos seriùs, & sine legitimo Mandato missuros, vel quicquam, quod ad proprias calamitates quamocyssimè amouendas prodesse posset, prætermissuros, cogitare vel diuinare potuisset?

Qvis non speraſſet, Ordines & subditos Belgij oblationis, allegationis & sanctæ promissionis suæ memores futuros, nihilque facturos vel petituros, quod illis consentaneum non esset? Quis Ordines & populos Belgicos tam diuturnis bellis attritos & fatigatos, cessantibus etiam & sublatis sumptorum armorum causis, promptiores ad calamitosum hoc bellum continuandum, quàm ad pacem, benignè oblatam, amplectendam futuros existimasset? Quis denique submissionem vtriusque partis, Cæs. Maiest. pari ratione factam, & expressam,

pressam, huius Colonienſis tractationis, ad probationem tantoperè mutandam & restringendam, & Cæs. Maiest. & dominorum Commissariorum verè paternum affectum, studium atque laborem irritum fore, sperare vel credere potuisset?

Qvanqvam autem domini Commissarij omnibus his de rebus optima quæque sperantes, eo ipso tempore quod Cæs. Maiest. tam ipsis quàm partibus præfixit, & sic ante septem integros menses, sepositis suis, suorumque subditorum negotiis huc se contulerunt, & ad hanc tractationem inchoandam prompti paratique fuerunt: tamen ex parte Ordinum Belgij nullos hic legatos inuenerunt, & ob id cum solo Regis Mandatario Duce de Terranoua, hîc præsente, nihil tractare vel agere potuerunt.

Et licet post aliquot hebdomadas legati Ordinum comparuerint, Mandatum tamen minus sufficiens & ad sex hebdomadas restrictum exhibuerunt, & in hodiernum vsq. diem plenius Mandatum, quantumuis non semel petitum & exactum, illis transmissum, tempusque prorogatum non est. Quæ res tam in ipso huius tractationis exordio, quàm in progressu spem de pace conceptam plurimùm labefactauit, & suæ Cæs. Maiest. dominorumque Commissariorum pium & diligentem conatum & laborem magna ex parte irritum fecit. Nam vt ex priori vtriusque partis declaratione, religionem Catholicam Romanam, & auctoritatem Regis concernente, & ex pari eaque indefinita potiùs, quàm ad certum tempus restricta submissione, magna pacis spes affulsit: Ita

HAVROBA SIBLIOTEKA OHYIM.U. NEUHIROBA

vel in ipso limine huius conuentus, ex Mandati defectu, prioris declarationis & submissionis mutatio apparuit, & spes pacis, præsertim vniuersalis, magnopere debilitata, vel potiùs planè sublata est. Cùm enim Ordines Belgij ne de Mandato quidem, legatis huc mittendis dando cõuenire potuerint, sed Artheſij, Hannonienses, & quidam alij, priori declarationi, & promissioni de conseruanda Catholica Romana religione inhærentes, ad petendum & defendendũ alterius religionis exercitium, nullos huc legatos mittere voluerint, sed cum Principe Parmensi, aliisque regiis ministris, de pace tractare & transigere maluerint: Alij verò liberum illud exercitium, præcipuè legatis mandari debere contenderint, illisque illegitimum, insufficiens, incertum ad Instructionem non exhibitam se referens, & submissionem indefinitè factam, ad sex hebdomadas restringens, Mandatum dederint, & præter alias manifestas mutationes, & innouationes, inter se nouas cõfœderationes, statim in initio huius tractatus, & intra terminũ, legatis suis præfixũ, erexerint, & sic tacitè, & ipso facto Mandatũ suis legatis datũ, vel reuocarint, vel plurimum labefactarint, & terminum prorogare debuerint, vel sine consensu extraneorum Principum (cum quibus se tractationem iniisse scripserunt) non potuerint: certè tot, tantique defectus Mandati, & tantæ distractiones & mutationes non potuerunt non spem omnem de vniuersali pace concilianda priùs conceptam, Dominis Commissariis eripere, eiúsque viam planè præcludere. Hinc enim factũ est, quòd nec cum Artheſiis & Han-

& Hannonienſibus, aliisque nullos hîc legatos habentibus, quicquam de pace tractare, nec illis salua fronte & instructione sua, & inuito Regis Mandatario, auctores esse potuerint, vt cum Rege suo se non reconciliarent, vel à pace cum Regis ministris inita resilirent. Hinc etiam factũ est, quòd cum reliquarum prouinciarum legatis, legitimo & sufficienti mandato carentibus, nec de indutiis & indutiarum condicionibus, nec de causa principali quicquam certi, vel intra breuissimum terminum, eisdem legatis præfixum, vel postea tractare & concludere potuerint. Estque summa admiratione dignum, quòd illi qui intra plurimos menses, & in hodiernum vsque diem, de formula certi Mandati, suis legatis dandi vel mittendi, conuenire non potuerunt, totius huius grauissimæ controuersiæ decisionem intra cancellos sex hebdomadarum concludere, & coactare conati sunt; præsertim cùm legati Ordinum eiuscemodi non tam media, quàm extrema prioribus promissionibus & pacificationibus illis quas ipsi legati xij. Iunij totius huius tractationis fundamentum esse allegarunt, parum conuenientia proposuerint, vt vel sensus communis dictet, tam arduam controuersiam intra sex hebdomadas conciliari & decidi non potuisse. Quamquam autem hæc omnia Dominis Commissariis iustissimam causam præbere potuissent, saltem post præfixas sex hebdomadas, vel post xij. Iulij (quo die legati Ordinum dixerunt, quòd in vllam vlteriorem tractationem progredi nollent) omnem pacis spem abiiciendi, & protinus hinc discedendi. Ne tamen officio suo

HAGROBA BIBLIOTEKA OHV. IM. II. MECHNIKOVA

vllo modo deeſſent, vel quicquam prætermitterent, quod commiſſioni & inſtructioni Cæſ. conſentaneum, & ad vicinas ditiones Belgicas, miſerè concuſſas & afflictas à belli flagrantis incendio liberandas prodeſſe poſſet, non ſine tædio, labore & ſumptibus grauiſſimis, per ſeptem integros mẽſes hîc manſerunt, tractationemq. continuarunt; vtque ex prioribus pacificationibus, variiſq. ſcriptis & actis intellexerunt, Ordines Belgij non tam ad nouam religionem inducendam, eiúſque exercitium defendendum, quàm ad amouendum ſeuerius quorundam imperium, expellendum extraneũ militem, priuilegia conſeruanda, libertatem commerciorum reſtaurandã, & inſolitas collectas & exactiones auertendas, & ſimiles politicas ob cauſas arma contra Regem eiúſue miniſtros ſumpſiſſe: ita ſummo ſtudio & labore has belli & ſumptorum armorum cauſas, per propoſitas pacis conditiones è medio tollere conati ſunt, vt ita ceſſante cauſa, effectus quoque ceſſaret. Et non dubitant quin omnes boni & pacis ſtudioſi confeſſuri ſint propoſitos politicos pacis articulos non ſiniſtrè ſed dextrè & candidè acceptos & interpretatos, ad tollendas omnes hactenus per Ordines Belgij allegatas calamitoſi huius belli cauſas commodiſſimos eſſe, maximè cum Domini Commiſſarij ad promouenda illa quæ ad firmam & inuiolabilem huius Pacificationis obſeruationem, & ſic ad vtriuſque partis plenam ſecuritatem fortè adhuc neceſſaria vel vtilia cenſeri poſſent, ſe non ſemel obtulerint. Et ſi quis exiſtimet præter politicas controuerſias etiam ſeueriora contra alienæ religionis

ligionis homines decreta cauſam huic bello dediſſe; is quoq. ſi articulos pacis per Ducem de Terranoua in cauſa religionis propoſitos ſincero animo legat & perpendat, non poteſt non fateri, per eoſdem talem quoq. ſeueritatem ita mitigatam, vt nemo iuſtè conqueri poſſit, Regem ſub prætextu religionis, vel in corpora ſubditorũ ſæuire, vel bona illorum appetere & cõfiſcare, vel etiam ipſorum cõſcientiis vim inferre velle: ita vt nullam elabendi, & corpora, bona vel cõſcientias ſaluandi viam habeant, niſi contra ordinarium Magiſtratum, & ſic cõtra ipſius Dei ordinationẽ cum innumerabilium corporum & animarũ periculo bellũ gerant.

QVÆ cùm ita ſint, Domini Commiſſarij mirantur, non immeritò, quam ob rem ad æquiſſimas pacis conditiones omnem belli continuandi neceſſitatem, & comminatæ priuationis & deſertionis prætextum è medio tollentes, & vel ipſis legatis Ordinum xviij. Iulij fatentibus, propiùs ad mentem & intentionem Ordinum accedentes, intra ſedecim hebdomadas ab Ordinibus certum reſponſum, quamuis aliquoties petitum & exactum, non acceperint; eo excepto, quòd ſoli Buſcoducenſes, ſanioribus vſi conſiliis, reſponderunt eaſdem pacis conditiones ſibi placere, & Transiſulani xiij. Septembris reſponderunt, ſe reſolutionem ſuã, Dominis Commiſſariis proculdubiò placituram, ad generales Ordines miſiſſe: & Valencenẽſes ſe Regi & Principi ſuo legitimo reconciliari, & cõditiones pacis Artheſiis & Hãnonienſibus cõceſſas, acceptare velle, nõ obſcurè indicarũt. & in initio Septemb. Antwerpienſes & Brabãtiæ

IAVROBAE BIBLIOTEKA OHV M.I. MECHLIROBA

tiæ ac Geldriæ Status, Ordinésq. generales aliquã ſpem certi reſponſi opportuno tempore tranſmittendi Dominis Commiſſariis fecerunt. Et tandem Tornacenſes, Torneſienſes, & Nouiomagenſes reſponſum ſuum Antwerpiam tranſmiſſum eſſe huc ſcripſerunt: & poſtremò etiam ipſi Ordinum deputati, Antwerpiæ congregati, in litteris ſuis viceſima Octobris datis, aliquot dierum dilationem petierunt. Sed cùm Buſcoducenſium cauſa iam dum tranſacta ſit, & Dominorum Commiſſariorum præſentiam non requirat, & Valencienſes, vicinis ſuis Artheſiis & Hannonienſibus cum Rege reconciliatis, ſe maluerint adiungere, quàm Dominorum Commiſſariorum opera vti; & Trans-iſulanorum, Tornacenſium, Torneſienſium, & Nouiomagenſiũ reſolutio ex Antwerpia nondum huc ſit miſſa: illíſque & aliis pacem amantibus etiam hoc conuentu diſſoluto, per viam paulo pòſt demonſtrandam, ſuccurri poſſit, & Ordinum Brabantiæ generaliumque Ordinum deputati, in litteris ſuis ſexto Idus & decima Septembris Antwerpiæ datis, ab acerba & odioſa veterum altercationum renouatione & reſuſcitatione, & quorundam iuſtiſſimorum, & ad inducendam veram anteactorum obliuionem & æqualem omnium reconciliationem, planè neceſſariorum articulorum, ipſiúſque Edicti perpetui, & ſic præcipui ferè fundamenti totius huius tractationis, ſiniſtra interpretatione & impugnatione non abſtinuerint, nec opportunum tempus reſpõſi tranſmittendi expreſſerint, nec vllam ferè ſpem articulorum acceptandorum Dominis Commiſſariis reli-

liquerint, nec illis intra præfixũ peremptorium terminum, nec intra tredecim hos dies eundẽ terminum ſequentes, reſponſum promiſſum tranſmiſerint: nec cuiquam obſcurum eſſe poſſit, quid multi, ad arma potius quàm ad pacem propenſi, de hac tractatione, articulisque hîc propoſitis minus candidè loquantur, ſcribant, confingant, & publicè etiam impreſſis famoſis libellis per totum Belgium, & vicinas regiones ſpargant; & quid in quibuſdam locis, ciuitatibus & prouinciis minùs pacificè factum & concluſum ſit: nec Arnhemienſes in litteris ſuis decima ſexta Octobris datis diſſimulatint, quòd malint mortem ſubire, quàm condiciones pacis hîc propoſitas (quas acerbiſſimè & odioſiſſimè impugnarunt) acceptare: Nec Domini Commiſſarij quicquam vlterius, præſertim in cauſa religionis à Rege vel Duce de Terranoua obtinere, vel illi inuito extorquere poſſint; nec ipſorum negotia, per tot menſes ſepoſita & ſuſpenſa, admittant, nec reputationi & auctoritati Cæſ. Maieſt. conſentaneum ſit, vt ſe hîc diutius fruſtrà & ſine vllo fructu detineri patiantur: nihil aliud reſtare vident, quàm vt tandem tractationi huic finem imponant, hinc diſcedant, & totum negotium Deo Opt. Max. & Sacr. Cæſ. Maieſtati, cui omnia fideliter relaturi ſunt, & ipſis partibus cõmendent. Diligenter interim & ſedulò Ordinum legatos adhortantur, vt quantum in ipſis erit, ex ſuorum animis diffidentiam, exaſperationẽ & omnem ſiniſtram ſuſpicionem, à ſuæ Cæſ. Maieſt. & Dominorum Commiſſariorum animis & procul dubiò etiã à Catholico Rege alieniſſimã, eximere, ipſiſque

НАЦІОНАЛЬНА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

ipsisque persuadere conentur, vt à diuturnis tempestatibus procellísque bellorum, ad humanioris vitæ quietem & tranquillitatem transitum faciant, & citra longiorem moram, maximo suo commodo & incredibili calamitosæ multitudinis & vniuersi orbis lætitia, suæ Cæs. Maiestati vel Regi Catholico, vel ministris eius significent, se articulos pacis hîc propositos acceptare velle, vt ita post dissolutum etiam hunc conuentum, dulcem eius fructum percipere, perque pontem hîc constructum, vel demonstratam salutarem tabulam, ex tam vasto infinitorum malorum pelago, & præsentissimo naufragio, ad veræ quietis & tranquillitatis portum transire vel enatare, & sub placido & miti Regis sui imperio & gubernatione, pristinam felicitatẽ recuperare, & veræ ac diuturnæ pacis innumeris commoditatibus frui possint. Quod Domini Commissarij Belgicis ditionibus ex animo optant & precantur: & vtrique parti beneuolentiã, amicitiam, & promptum gratificandi studium offerunt: Nihil amplius ab iis petentes, vel expectantes, quàm vt suæ Cæs. Maiestatis & Dominorum Commissariorum pro salute Belgij susceptum laborem, studium, sumptus & operam non vulgarem æqui bonique consulant, & sincerè ac candidè potius quàm sinistrè, & in deteriorem partem interpretentur, vt in pacem, vel condicionibus hîc propositis, vel si malint ea via quam Artheſij & Hannonienſes ingressi sunt, cõficiendam omnes neruos intendere, omnemque operam collocare non desistant. Publicatũ Coloniæ xiij. Nouemb. anno Dominicæ incarnationis millesimo quingentesimo septuagesimo nono.

SCRI-

SCRIPTVM LEGATORVM, ORDINVM.

Reuerendissimi, Illustrissimi, Generose, Nobilis, Sacr. Cæs. Maiest. Commissarij.

QVÆ heri Illustrissimo Duci Arschotano, & nobis reliquis Ordinum legatis, partim ore, partim de scripto dicta & recitata sunt, ad ea vt ad plenum respondeamus; nec breuitas temporis, nec qualitas Actus, cùm Recessus loco sit, patitur: alioquin sola etiam obseruantia & veneratio, quam non tantùm personis, sed & scripturis vestris præstare cupimus, satis efficax est, vt ab omni contradictione & disputatione nos contineat.

TANTVMMODO hunc nobis amorem & veniã dari postulamus, si profiteamur dolere nos, & conqueri, finem huic conuentui imponi, vbi primum fructum eius cognituri & percepturi eramus. Spem enim habemus vix vnum aut alterum diem præteriturũ, quin generalis Ordinum resolutio aduentura sit; ex ea in primis omnia ista dissoluerentur, quibus nunc in hoc Recessu Ordines grauari videntur: deinde iustitia vel iniustitia petitionis eorum cognosceretur; tertiò, intercessionis vestræ officium & potestas tum demum vigorem & effectum suum consequeretur.

HACTENVS enim circa ea in quibus controuersia post exhibitos pacificationis articulos inter Seren. Regem & Ordines præcipuè consistit, nimirum circa securitatem subditorum, & religionis libertatem, Celss. & Dign. V. partes suas nondum

HAZ TOBA BIBLIOTECA OHVIM, EL MEJOR ROBA

dum interposuerunt: de quo non solùm in Actis, sed & in hoc ipso Recessu patet.

TACERE quoque non possumus, vtcunque ex causis supradictis, ab omni examinatione illius scripti abstinendum nobis esse censeamus; Celss. & Dign. V. discessum tamen eo nobis gratiorem esse, quòd is non cum gratia & fauore, qualem non solùm apud Sacr. Cæs. Maiest. sed & apud Celss. & Dign. V. item apud omnes Status Imperij, Ordinibus & nobis saluum & integrum manere cupimus, propositus videatur propter rationes & argumenta, quæ in scripto illo ad longum referuntur; vtinam etiam non causam indignationis & offensionis alicuius apud multos præbeant.

NON ignorant tamen Celss. & Dign. V. primùm quod ad litteras illas attinet, quas Ordines ad Sacr. Cæs. Maiest. octaua Ianuarij anno 78. scripserunt, aliter postea eandem Cæs. Maiestatem per legatũ suum, Dominũ Suffridum Preiner Baronem in Stubing, ab illis instructum esse; vti constat ex responsione, quam Ordines suis litteris, ad Celss. & Dign. V. datis, adiunxerunt. Quàm multa etiam alia, antequam hic conuentus indictus fuerit, euenerint, prædictis Ordinum litteris declaratur: quæ hîc repetere supervacaneum est.

SED vt aliud nihil esset, articuli, quos nomine Ordinum exhibuimus, sententiam & voluntatem eorum rotundè explicârunt. Eôdem etiam pertinuerunt, quæ Seren. Archidux Austriæ Matthias per suum Legatum Dominum de Mouillerie Celss. & Dign. V. significauit. Si ergo hæc res sic intellecta fuit, vt secundum eas litteras religio obserua-

obseruaretur, æquè in initio quàm nunc proponi potuit. Imò quod ad nos attinet, si vel de hoc intellectu, vel etiam de Mandato Ducis de Terranoua, fuisse illud ad solam Catholicæ Rom. Ecclesiæ obseruationem restrictum, à principio nobis innotuisset, nũquam ne diem quidem vnum, vltra tempus in Mandato nostro expressum, mãsissemus.

SECVNDÒ non ignorant Celss. & Dig. V. nos in aduentu nostro iustas causas moræ factæ attulisse; inter quas etiam illa non minima fuit, quòd cùm iter nobis per medios hostes faciũdum esset, nõ nisi vlt. April. Neomagi in itinere, etiã si sollicitatorem hoc in loco haberemus, diplomata tuti & securi accessus acceperimus.

TERTIÒ, quod ad Mandatum nostrum attinet, non vno loco in Actis, sed plurimis, & declaratione Instructionis nostræ, quòd ea nulla alia esset, quàm quę articulis, à nobis exhibitis, cõtineretur; & oblatione visionis eiusdẽ Instructionis; itẽ etiã oblatione ratificationis, ratificatione etiam ipsa, per Ordines de omnibus quæ hactenus acta sunt, facta, illud iustificauimus.

SIC etiam prorogatio, etiamsi hactenus necessaria non fuerit, tamen non vnis litteris, sed ternis, quaternis, de quibus etiam Celss. & Dign. V. certiores fecimus, iussi sumus hîc ab Ordinibus permanere, & secũdùm Instructionẽ nostram pergere; prout etiam omni diligẽtia fecimus. Ambo ista eneruari, multisque grauibus verbis, præter causam, in hoc Recessu exaggerati dolemus.

CVIVSMODI est & illud quod de indutiis,

 earum-

In scripto quod à legatis Ordinum xix. Iunij, exhibitum est circa fin. Item ex eo quod allũ est in 11. Aug. Patet ex eo quod actum est xxix. Iul.

earumq. condicionibus scribitur, cùm de iis, vt ex Actis apparet, absolutum Mãdatum habuerimus: Econtra Dux de Terranoua expresse indicauerit, nullam sibi potestatem ad eas concedendas competere, sed illas ex solo arbitrio principis Parmensis dependere.

QVINETIAM ad ea quæ sequuntur, necessitas iterum nos dicere cogit, si notum nobis fuisset, Celss. & Dign. V. haud aliam mentem de religione, nec Ducem de Terranoua aliud mandatum de eadem habuisse, nõ tãtùm intra sex hebdomadas, sed intra primos sex dies finiri hoc negotium potuisse, resque nostræ meliori loco, quàm nunc sunt, extitissent: Alioquin etiam pacificationes nostræ priores, breuiori temporis interuallo conclusæ & definitæ fuerunt.

SED ne longiùs progrediamur, quę præterea in hoc Recessu continentur, Ordinum considerationi & defensioni relinquimus, verùm vnà cũ verbis istis, quorum ibidem mentio fit, quòd in nullam vlteriorem tractationem progredi vellemus; quæ verba in scripto illo quod xij. Iulij exhibitum fuit, referuntur, amicè, humillimè, humiliter & officiosè petimus, in memoriam ea etiam verba reuocari quæ nobis dicta fuerunt xviij. Iulij sequente, cùm vltimi articuli exhiberentur in hunc modum: Cùm Ordines eodem modo se submiserint, quo Seren. Rex ac Maiest. ipsius legatus paratus sit hîc manere, donec responsum ad ea quæ hactenus acta sunt, Celss. & Dign. V. accepissent, monere easdem Celss. & Dign. V. ne & nos hinc ante responsum illud discessum pararemus, quæ

sola monitione omnia etiam superiora dissoluta sunt; necdum enim nobis de responso illo quicquam indicatum fuit.

INSVPER huius respectu, obnixissimè pro vltima vice petimus, sicut & Ordines per suas litteras proximè petierunt, vt Celss. & Dign. V. afflictissimæ patriæ nostræ, ad priorem gratiam, hanc adiicere & condonare velint, vt dignẽtur quatuor adhuc dies expectare: non enim possibile est, quin iam in itinere Ordinũ litteræ sint; nec dubitamus vllam rem aliam, quàm scriptum illud Ducis de Terranoua, quod importuno tempore editũ fuit, remoram resolutioni eorum iniecisse; quod etiam tum, cùm transmisimus illud, metuebamus. Sin verò impetrare id nõ possumus, in primis Celss. & Dig. V. immortales gratias agimus, pro molestiis, laboribus & sumptibus, quos tot iam mensibus, causa reconciliationis nostræ, habuerunt & sustinuerunt. Omni id amore, officio & seruitio promereri cupimus. Idem Ordines suis litteris non minori affectione declaraturi sunt, & occasione se offerente factis quoque relaturi. Quod reliquum est, soli sapiẽti & iusto Deo causam nostram commendamus. Exhibitum xiiij. Nouembris, Anno M. D. LXXIX.

VLTIMO Nouembris legati Ordinum litteras ab iisdem Ordinibus acceperũt, quibus adiuncta erat instructio & communis omnium prouinciarum Resolutio, vnà cum litteris ad Dominos Cõmissarios, & ad Comitem de Schwartzenberg datis. Hæ litteræ eidem Comiti, quia solus adhuc aderat, traditæ fuerunt, & super Resolutione ista

HAMBURGER STAATS- UND UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK

communicatio cum eo habita: sed cùm vlteriorẽ tractationẽ Dux de Terranoua, etiamsi Imperator continuari eam volebat, ore & litteris suis denegaret, ex consilio ipsius Comitis prædicta Resolutio ad Imperatorem transmissa fuit, vnà cum parte Instructionis ad ea quæ in articulis istis continentur, defendenda & declaranda.

Ex lingua Gallica in Latinam translatæ.

LITTERÆ ORDINVM AD LEGATOS SCRIPTÆ.

DOmini. Satis abundè intellexistis per tenorem omnium Litterarũ præcedentiũ, interea dum ibi agitis, continuum nostrũ officium, quod præstitimus ad obtinendam conclusionẽ prouinciarum particulariũ respectiuè, vt per collationem & cõmunicationem illarum decerneremus vnam aliquã finalem Resolutionem, super punctis & articulis, qui per Dominos Principes Cæsareos Cõmissarios propositi fuerunt, quo tandẽ ad bonam & securã pacem cum Regia Maiest. perueniamus. Quæ nobis causa erunt ne ea hîc repetamus, posteaquã hæ Litteræ ad hoc solùm seruient, ad vestrã operã instanter requirendã, vt à Domino de Melroy vestram Instructionẽ & prædictam finalẽ Resolutionem omnium prouinciarum, super dictis punctis & articulis, vnà cum Litteris, quas scribimus ad Principes & Comitẽ de Schwartzenberg, quò in omnibus occurrentibus cõformetis vos ad contenta in iis, sequentes exempla illorum, quæ simul mittimus. Si contingat diuturniorẽ nostram moram culpari, ad excusationẽ eius omnes causas, quas

quas iam antè intellexistis, adferetis. Finem facimus, si hoc primũ indicauerimus, mirari nos supra modum, quomodo Dux de Terranoua, & Domini Principes Cæsarei Cõmissarij nunc adeò longè reiiciant punctum & articulum religionẽ concernentem, posteaquã sciuerint ab initio, quòd erat impossibile tractare cum fructu, nisi acceptato illo articulo: requirimus vt hoc illis declaretis. Quod restat, rogamus Creatorem, Domini, vt det vobis sanctã, beatam & bonã vitam cum beneficio gratiæ suæ. Antuerpiæ XXV. Nouemb. Anno LXXIX.

LITTERÆ ORDINVM AD DOMINOS COMMISSARIOS.

Reuerendissimi, & Illustrissimi, &c.

QVandoquidẽ generosus Dominus de Melroy Coloniam reuertitur, cum responsione categorica, primo seorsum in vnaquaque prouincia concepta, & deinde per collationem deprehensa deliberationum transmissarum cõcordia communi omnium ditionum consensu resoluta super pacificationis articulis, à vestris Celss. & Dignit. transmissis: nostri officij esse duximus, denuò immortales agere gratias, pro diuturna commoratione & ingentibus laboribus ac sumptibus, quos vest. Celss. & Dign. postpositis propriis & subditorum suorum negotiis, in hoc pacificationis conuentu sustinuerunt, & eo ampliùs rogare, vt post adeò multiplicem laborem in extremo actu non deficere, sed pulcherrimo operi supremã manum feliciter imponere dignẽtur; sibi certissimè persua-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

dentes, Ditiones & Ordines summa diligentia respõsionem suam ita temperasse, vt sine maioribus perturbationibus & totius Reipub. euersione non potuerint, durantibus tumultibus bellicis, vlteriùs procedere: vel propiùs & æquabilioribus rationibus vestrarum Celss. & Dign. articulis accedere. Quod indubitanter omnes mortales fatebũtur, qui vel eminus statum præsentem rerum Belgicarum inspexerint. Etenim in diuturna principis absentia (quę per se multa magnaq. incommoda adferre solet) & propter dissensiones insecutas, tanta rerum publicarum mutatio facta est, vt secũdum Regis desiderium, articulos ea forma qua transmissi sunt, impossibile sit vllibus hominum accommodare absque grauiori damno cum Regiæ Maiest. & religionis Catholicæ Romanæ, tum totius Reipub. Belgicæ. Quare rogamus & obtestamur Celss. & Dign. V. in tempore omnia attentiùs considerare velint, & Regium Commissarium per suas intercessiones commouere, ne aspernetur vota prouincialium enixè desiderantium, sublato metu belli, ad obedientiam suæ Maiestatis, tanquam ad clarum beneficumque fidus, reuerti, ac se suaque omnia applicare, quocunque desiderauerit Maiest. suæ voluntas & salus, si hæ condiciones tolerabiles, & quæ statui præsentis tẽporis accommodari possint, admittantur; non sine magna spe & certa expectatione postea per pacis trãquillitatem, & animis subditorum magis pacatis, cum maiore opportunitate, maiorem moderationem obtineri posse: Id quod non dubitamus Celss. & Dig. V. seriò & pro negotij magnitudine animaduersuras;

uersuras; & antequam occasio præterlabatur, Regio Commissario persuasuras, Regem dum subditis suis parcit, sibi parcere, & sine temperamento dictorum articulorum fieri non posse vt belli calamitatibus liberemur, pristinæ tranquillitati restituamur, & secura beneuolentia prouocati, omnes Maiestatem suam tam pro se quàm supra se esse agnoscant, eiusque curam excubare pro salute singulorum atque vniuersorum experiantur; cuius rei procuratio Regiæ Maiest. magnitudinem stabilẽ, fundatamque apud Belgas efficiet, & Vest. Celss. & Dign. immortalem conciliabit gloriam, reddetque Ordines prouinciarum Belgicarum ad obsequẽdum sibi perpetuò deuinctos & obnoxios, ita quòd non pigebit moram dilationemq. temporis sustinuisse, pro obtinendis & conciliandis ditionũ ac prouinciarum suffragiis; quæ quantum in nobis fuit, curauimus diligentissimè: sed ipsa rei varietas & rabies flagrantium bellorum, necnon improba aduersariorum studia cum Regis ac ditionum præiudicio, tarditatis causam prębuerunt: ita vt speremus certissimè Celss. & Dign. V. rerũ veritate bene perspecta, Ordinum excusationem existimaturas nõ solùm probabilem, sed etiam iustã. Precando obsecrandoque iterum Celss. & Dign. V. non grauentur in inchoato opere procedere, & diuina virgula (vt aiunt) rem ita dirigere atque disponere, vt iurgium hoc inter Maiest. suam & ditiones suas patrimoniales quàm citissimè componatur, nec latiùs serpat cum dolore subditorũ, & tandem desperatio cogat magis dura & aspera consilia arripere. Ordines sollicitudinẽ, magnosq.

labores & sumptus Celss. & Dignit. V. immortalibus laudibus extollere, & omni obsequiorum & gratitudinis genere promereri ac compensare conabuntur semper. Antuerpiæ 25. Nouemb. 1579.

LITTERÆ EORVNDEM AD COMITEM DE SCHWARTZENBERG.

Illustriss. Domine Comes.

FAtemur humanitatem atque beneuolentiam tuam erga istas prouincias multiplici significatione rerum agnouisse; luculenterque perspectum, exploratum & compertum habemus, per te, qui præsens faciem rerum Belgicarum propiùs aspexisti, & apertis rerum argumentis certissimè deprehendisti, omnem pacis tractationem absque laxamento aliquo, quoad religionis exercitium futuram inutilem & superuacaneam, non stetisse neq. adhuc stare, quominus æquabilibus rationibus ditiones Maiest. suæ reconcilientur, & pristinæ quieti & tranquillitati restituantur: nec dubitamus te pro singulari candore & affectu ad Belgij pacificationem, post tot periculosa itinera tantosque labores exantlatos, diligentissimè allaboraturum, vt præclara principia pacificationis perfectionē suam assequantur, secūdum categoricam Ditionum responsionem, quam vsque adeò collimauimus, & ad rationis æquilibrium trutinauimus, vt sine maiore detrimento Regis & Reipub. (inspecto statu præsentis temporis) amplius postulare aut exigere non conueniat, si Rex ditiones suas amet, velitque earum se conseruatorē potius quàm

quàm euersorem præbere, ac prouincias ciuitatesque potius beneuolētia allicere, & paulatim componere, quàm vi direptas periculoso bello ad se pertrahere conari. Nimium enim & cum summo subditorum discrimine coniunctum videtur, secundum formulam propositorum articulorum, tumultus consopire, & simul defixam popularium opinionē subitò conuellere, ac vniuersam propè formam Reipub. commutare, antequam per pacis experimenta & post adeptam securitatem, redintegratamque de Rege fiduciam, animi magis placati ad maiorem moderationē inclinent, quæ præcipua est ratio componendæ Reipub. quam dolemus tot annorum spatio à Rege, eiusque ministris non fuisse obseruatam, cum magna ditionum abalienatione, ordinis politici perturbatione, & religionis Catholicæ Romanæ diminutione, de quo D. T. pro tēpore, quo in his ditionibus versata est, amplissimum potest dare testimoniū. Dilata fuit aliquamdiu Ordinum categorica responsio, quæ nunc transmittitur: sed prudentia tua facilè considerabit, excitatis per aduersarios tot intestinis dissidiis, Ordines prouinciarū crudeli bello oppressos, non sine summa difficultate, & mora, inter infinita & varia hominum ingenia, potuisse colligere voluntates & consensum tot prouinciarum tam latè distantium: ideoque confidimus excusationem nostram apud principes Electores & Commissarios Cæsareos sufficiētem, & amplius quàm iusti ponderis futuram; præsertim si tenor articulorum collatus cum Reipub. nostræ statu, aliæque circumstantiæ concurrentes rectè ponderentur

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

& intelligantur. Et cùm non ignoremus sincerum affectum tuum in his quæ ad peragendum pacificationis negotium pertinent, nō erimus prolixiores, si vnú illud adiecerimus, quicquid laboris aut industriæ hactenus à D.T. pacis conciliationi impensum est, aut in posterum impendetur, Ordines in perpetua recordatione habituros, omni tempore agnituros, atque cum opportunitate secundum meriti & beneficij magnitudinem compẽsaturos. Antuerpiæ XXV. Nouembr. M. D. LXXIX.

INSTRVCTIO EORVM QVÆ A DOMINIS LEGATIS ORDINVM GENERALIVM *Belgij, nunc temporis Coloniæ agentibus tractãda erunt cum Dominis Electoribus & ceteris S. Cæsareæ Maᵗᵉ Commissariis circa articulos Pacificationis & reconciliationis inter Regem Catholicum & supradictos Ordines generales harum inferiorum ditionum Antuerpiæ congregatos, qui ab ipsis dominis Electoribus ceterisq; Commissariis propositi fuerunt.*

PRIMÒ, eorum Celss. & Dign. humiliter, ipsorum Ordinum nomine, salutabunt, eisq. gratias agent, quòd supradictæ reconciliationis, vtilitatis publicæ ac quietis causa tantum laborum & molestiarum fuscipere non sint grauati: orantes vt in ea negotiatione persistere velint, donec eã ad felicem & optatum finem perducant: ac deferent omne seruitium quacumq. occasione ab ipsis Ordinibus præstandum, &c.

Deinde

Deinde exhibebunt Articulos quos Ordines in præsentiarum mittunt, continentes Resolutionem categoricam & absolutam ad Condiciones ipsis Ordinibus ab eisdem Dominis propositas; idque quemadmodum suis litteris postulauerant.

Supplicabunt præterea Celss. & Dignit. eorum vt intercedant apud Ducē de Terranoua Maiest. Regię Commissarium ceteroſq. dominos ac Principes quibus expedire iudicauerint, vt præsentis necessitatis rationem habeant, & afflictissimorum subditorum commiseratione moueantur: atque eorundem vasallorum ac subditorum humillimæ supplicationi petitioniq. acquiescentes, gratos habeant ipsos articulos vt maximè necessarios ad firmam reconciliationem stabiliendam, & has ditiones suæ Maᵗᵉ conseruandas: Declarabunt quoque subditos hanc acceptationem pro singulari ac paterna beneuolentia, fauore & liberalitate à sua Maᵗᵉ suscepturos; eiusque beneficij memoriam intimis medullis insculptam perpetuò conseruaturos; imò etiam daturos operam vt id cum spontanea, prompta perpetuaq. obedientia & fidelitate agnoscant: quales ipsi cum suis prædecessoribus se erga eius maiores præstiterunt.

Addentes, quòd nequeant sese iuxta formam ac tenorem articulorum sibi propositorum accõmodare, id obstinationi vel peruicaciæ vlli minimè esse asscribendum; sed meræ necessitati ac desiderio ditiones in obedientia Regia retinendi; Supplicantes Dominis Electoribus, Principibus, & eidem Duci de Terranoua, vt eius rei rationem habeant; prout exigere videtur negotij præsentis

necessitas

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

neceſſitas, ſimul & publica totius Chriſtianitatis ac præcipuè ipſius Imperij vtilitas.

Nihilominus, ſi qua fortè in ſingulos articulos incideret difficultas, iidē Domini Legati rationibus, articulis ac mediis ſequentibus ſe tuebuntur, illis Inſtructionis ſecretæ loco vtentes.

Quod autem ad Appendicē primo articulo additā attinet, ea nimirū ſeruiet ad tollendā quamlibet ſiniſtrā ſuſpicionem & diffidentiā à tempore publicationis Edicti perpetui inter harū prouinciarum ſubditos, vnius atq. alterius religionis animis ſubditorum conceptam; quæ occaſione eorum quæ contigerunt, & belli à Domino Ioanne Auſtriaco moti, mirum in modum ſe propagauit, ita vt planè neceſſarium eſſe comperiant Ordines, per eandem appendicem huic rei prouideri: adeò vt ad maiorem ſubditorum ſecuritatem, necnon & ad omnem captioſæ interpretationis occaſionem tollendam nulla difficultas hîc oriri poſſe videatur.

Secundo articulo nihil adiunctum eſt præter id quod maiori partium ſecuritati, & bonæ voluntati contrahentium explicandæ congruum eſſe credatur: in qua quidem ſecuritate & explicatione non dubitant Ordines (cùm nihil de ſubſtantia immutetur) futurum vt difficultatem in eo vllam deprehendant Domini Electores ac ceteri; eo magis, quòd Dux de Terranoua in litteris quas ad Ordines Brabantiæ ſcripſit, tam liberaliter obtulit ſe velle eidem explicationi ſiue declarationi animum conuertere; præſertim cùm id quod in eodem articulo additum eſt, receptum ſit gra-

gratumque habeatur in ipſis articulis Tractatus Artheſienſium, Hannonienſium & ſociorum, ac notanter in ſecundo & quarto reſpectiuè: eodem Duce de Terranoua in eiſdem ſuis litteris apertè declarante Maieſtatem Regiam non eſſe eius animi vt arces denuò ædificentur. Nihilominus cùm aliquid ſit diſcriminis in iis quæ Ordines de arcium reſtauratione eidem articulo addiderunt, prō eo quod Artheſienſes eorumque ſocij tranſegerunt, nullas videlicet arces neque vlla fortalitia poſſe denuò ædificari neque alias nouas erigi, ſine conſenſu Ordinum cuiuſque prouinciæ ſpecialiter; iidem Ordines dicunt, Quod nunquam poterunt denuò ædificari neque extrui; indefinitè. Si qua tamen difficultas oriatur, Domini deputati id ſaltem tentabunt obtinere, Ne reædificatio & conſtructio arcium permittatur ſine conſenſu Ordinum generalium ac Statuum particularium prouinciarum vbi id contigerit. Quod ſi id quoque nequeat impetrari, iidem deputati poterunt ſe conformare ei quòd ipſis Artheſienſibus & aſſociatis eſt conceſſum. Videlicet ſine conſenſu Statuum prouinciarum legitimè ac iuxta priuilegia patria congregatorum vbi talis caſus occurrerit.

Tertio articulo iuxta ſuum tenorē ab Ordinibus aſſenſum eſt; præterquam quòd maximè expedire videtur, vt nonnulla verba addātur, ſimulq. omittantur ac immutentur iuxta tenorem decimi articuli in Edicto perpetuo, ad euitandos ſcrupulos ac ſuperfluitates.

In quarto articulo mutatio facta eſt eo modo qui

HAZIROBA BIBLIOTEKA OHYIM PAMIĘTI.ORG

quo ibi continetur; cùm occasione diuturni belli direptionum, oppressionũ, violentiarum, diuersarum insidiarum & machinationũ quibus aduersarij vtuntur, diffidẽtiæ mirum in modum in animis subditorum accreuerint; deniq. naturalis ratio & experientia demonstrẽt, debere magis metuere sibi subditos, ac siniſtrè suspicari, vbi Princeps eorũ in ipsos verisimiliter irritatus & exacerbatus est, maximè si potens sit ac multorũ regnorũ & prouinciarũ Dominus, quàm Principẽ ipsum de suis subditis, eo magis, quòd ab eo tempore quo ipsis deputatis instructiones traditæ sunt, rerum status miris modis inter prouincias hîc contrahentes immutatus est: transactione inter Principẽ Parmensem & Artheſienses & socios inita, corpus nempe militum siue exercitũ, conficiendum, quòd succedat in locum extraneorũ, iuxta quintũ articulum eiusdẽ contractus. Id quod certè diligẽti consideratione examinari ac ponderari debet; quòd iustis de causis Ordines ideò non cupiant milites extraneos vtriusq. partis vno eodemq. tẽpore discedere, quemadmodũ etiã per Edictum perpetuũ xiij°. articulo nullum tẽpus Ordinibus erat præfixum; atq. idcirco debet ipsis Ordinibus saltem concedi terminus quem ipsi exegerũt, iuxta articulũ extraneorum discessum concernentem: Cùm maximè sua Ma^tas subditis cum eo reconciliatis, non habeat quod de eis sibi metuat; siquidem post recõciliationem quisq. annitetur illius bonam sibi cõciliare gratiam; paratus vel ipsam mortẽ ad eius pedes subire. Quod autem ad extraneorũ ex oppidis atq. arcibus discessum attinet, id satis respondet patriis priuilegiis; atq. adeò ipsi 6° articulo Tractatus cũ supradictis Artheſiẽsibus, & sociis initi: qua in re nulla debet oriri difficultas; cùm nõ appareat vlla ratio satis efficax qua debeat prouinciis huius negotiationis id quod ipsis Artheſiensibus ac sociis concedit denegare.

De mutatione verò & additione ad quintũ articulũ adscripta, ob rationes suprà citatas, ipsi Ordines nihil prius habent, quàm vt quamlibet siniſtram suspicionem ac diffidẽtiam quam cõcipere subditi possent, euitent: vt hęc pax & reconciliatio eo gratior, acceptior, firmiorque constet.

Quod ad 6. & 7. articulum attinet, Ordines permoti fuerunt his duobus articulis continuare in eiusdem argumenti disputatione. atq. immutarunt sicuti eorum scriptum continet, propterea quòd præsens postulat necessitas vt idẽ concedatur: quò permanentibus in integrum Ordinum obligationibus ac oneribus, antequam exonerentur ac ipsis prouideatur, metuẽdum certè esset ne mercatorũ ac eorundẽ bonorum detentione impediretur negotiatio, & indigenæ sese intra huius regionis limites cõtinere cogerẽtur: cùm præterea exigat ratio, vt satis fiat æri alieno ab ipsis Ordinibus occasione horũ tumultuũ contracto: atq. eam ob causam ipsis permittatur eiusmodi excogitare ac decernere media, quæ minori cũ populi detrimento expedire comperierint.

Octauus articulus Ordinibus placuit, cùm ipsa ratio atque equitas postulent, vt generalẽ omnium actionum obliuionem sequatur bonorum in vniuersum restitutio. Nihilominus ad euitãdas fraudes

HAVRORA BIBLIOTEKA OBYWATELSKA

des ac lites, Ordines apprimè conuenire iudicant, vt aliquis mobilibus, quæ quidem adhuc extant, nondum alienata neque vlli hypothecæ addicta, modus præscribatur. id quod conforme est respõdetq. decimo eiusdẽ tractatus Artheſiẽſium articulo. quomodo etiam planè æquum esse censent, vt additio fiat de bonis in Burgundia, Luxemburgo, Hollandia, Zelandia &c. extantibus; veluti aliquo modo ipsamet ratio circa eadem bona exigere videtur. In quo nulla debet moueri difficultas, cũ ea etiam comprehendantur ipso decimo articulo eiusdem Tractatus, atque adeò nono propositionis nuper à Duce de Terranoua factæ.

Quod ad ix. attinet; ob causas suprà memoratas articulo quarto, & maximè cùm articulo nono Edicti perpetui quicumq. tũc aliquo munere publico fungebãtur, in eo tolerẽtur, donec post Ordinum generalium conuentum aliter constitutum esset: eadẽ ratio vel lõgè grauior planè idem iam vrget, requiri nempe vt quicunq. munere publico aut dignitate quam à Domino Archiduce obtinuerunt, in præsentiarum funguntur, in eo continuẽtur; vt euitentur noui motus nouæq. alterationes. Licebit verò omnibus beneficiatis dignitatesque ecclesiasticas habentibus, redire ad suas functiones ac dignitates siue vacantes, siue aliis collatas, ne ex alieno damno captetur commodũ. Exceptis iis beneficiis & dignitatibus quæ tã contra priuilegia patria quàm per nouitates nuper aliis collata aut introducta fuerũt, quales sunt noui Episcopatus & Archiepiscopatus qui magna ex parte horum tumultuũ primam ac præcipuam occa-

occasionem præbuerunt. De aliis porrò officiis politicis, Ordinibus visum fuit minimè conuenire vt ij qui sese hinc subduxerunt, aut partes Ordinibus contrarias secuti sunt, quamprimum redintegrentur: ne scilicet aboleantur, nec in dubium reuocentur prouisiones per eundem Dominum Archiducem factę, iuxta articulũ xiij. sequentem; néue populus nouos motus excitet. Ordines tamen non grauatim eis rationabilem compensationem elargientur iuxta qualitatem & personarum & officiorum quibus eædem personæ functæ fuerunt: quippe cùm ipsorũ Ordinum non sit intentio vllũ à suo officio excludere, quò per hoc infamia aut iniuria afficiatur: sed vt euitentur noui motus, ad securitatem propriam illius qui cupit suos honores recuperare: metuendo ne alioquin ob suspicionem, siniſtramque opinionem quam populus concipere posset ex functione ac dignitate ei qui ipsis minus gratus aut suspectus esset, restituta aliquid oriatur incommodi, eaque ratione nouorum tumultuum & turbarum nascatur occasio. Adhęc Ordines non se præbebunt difficiles, quùm eiusmodi personæ acta publica eius rei sibi donari postulabunt; quòd videlicet nullam præter hanc ob causam à suis officiis suspensi sint. Insistent igitur ipsi Domini deputati constanter super eo quod hoc articulo continetur. Nihilominus si prædictarum rerum occasione metuatur huius negociationis infractio, vt maior ipsis absentibus detur satisfactio, poterunt iidem Domini Commissarij amplius largiri, quòd scilicet eadem compensatio duratura sit vsque dum in cõuentu Ordinum ge-

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA

neralium prouinciarum hîc contrahentium circa officiorum muniorumq. publicorũ restitutionem aliter fuerit decretum; vt ea ratione absentes iusta satisfactione contenti reddantur.

Quod ad decimum articulũ & eam quæ ab Ordinibus addita est, appendicẽ spectat, illa potissimùm accessit ad maiorem indigenarum securitatẽ & ob causas 4. articulo aliisq. præcedẽtibus declaratas, non repugnantes 18. articulo Tractatus cum Arthesiensibus & sociis initi; nec etiam 17. Edicti perpetui, respectiuè. Nihilominus quoniam in Tractatu Arthesiensium & sociorum id quod Ordines posuerunt indefinitè, circa clausulam, *grati Ordinibus*; termino sex annorum circumscribitur: Si id citra totius negotij infractionẽ nõ possit obtineri, licebit Dominis Legatis, vt hæc ad 12. 10. aut 7. annos obseruentur, constituere; prout valebunt impetrare.

Vndecimus articulus iuxta suam formam & tenorem acceptatur.

Quod verò 12. articulum concernit; Cùm Comes Buranus ex Academia Louaniensi contra patria instituta & priuilegia in Hispaniam abductus sit: æquum est vt iuxta duodecimũ articulum Pacificationis Gandauensis restituatur.

Decimus tertius per Ordines extenditur siue dilatatur; vt euitentur quæstionum & captiositatum occasiones: quandoquidem eandem ob causam sua Ma^tas generaliter hac vice approbauit ratumque habuit quicquid eorum quæ & suæ Ma^ti, & aliis erant reseruata, per Dominum Archiducem factum & collatum fuit; idq. ad requisitionẽ Arthe-

Arthesiensium & sociorũ, prout in tertio eiusdem Tractatus articulo continetur; maximè cùm per octauum articulum Pacificationis Gandauẽsis nõ solùm approbata fuerit Domini Principis Auraici dispositio & auctoritas quam intra Hollãdiæ, Zelandiæ ac sociorũ limites habuit & exercuit, sed etiam vlterius continuata. Necnon & causæ quæ tunc temporis mouere poterant cõtrahentes vt id sibi donari postularent, adhuc etiam idem in præsentiarum vrgẽt, respectu dispositionum per eundem Dominum Archiducem factarum.

Quod porrò 14. articulo continetur, ei ex parte est prouisum per ea quæ superioribus articulis inseruntur; eo magis quòd ferè per singulas ciuitates annuè magistratus renouatur, siue nouus creatur. in quo in posterum obseruabuntur iura, priuilegia, & antiquæ consuetudines cuiusque ciuitatis.

Decimo quinto articulo omissæ sunt extremæ clausulæ restrictiuæ, vt euitentur ea quæ Pacificationi Gandauensi, Edicto perpetuo, præsentiq. Tractatui possent contraria videri ac repugnare: nec etiam vlla nascatur occasio scrupulorum aut cauillationum quæ fortè circa Edicta ac statuta olim super negotio religionis publicata atque id genus alia, aliquando orirentur.

Decimus sextus articulus aliqua ex parte est immutatus, tam ob incõmoda iam antehac experta, quàm eo quòd eadem mutatio patriis priuilegiis non repugnet. Ordines enim vnanimi consensu ac suffragio desiderant vt Archidux in sua guber-

HAVE UBA BIBLIOTEKA OBYWATELSKA

natione continuetur; aut de nouo in ea per ſuam Ma^tem ſtabiliatur; cùm quòd ipſe qualitates requiſitas habeat, Ordinibusq. gratus ſit, tũ vt euitetur occaſio nouæ diffidentiæ, tumultus ac confuſionis quæ ex noui gubernatoris cõſtitutione creari poſſit. Proinde omnino vrgebunt ipſi Domini deputati vt idem Dominus Archidux continuetur, aut denuò confirmetur.

Decimus ſeptimus ob cauſas quarto & aliis præcedẽtibus articulis memoratas; & quoniã ſubditi nec meliorẽ nec ſecuriorẽ aduerſus ſuũ Principẽ in ipſos exacerbatum cautionem defenſionemque cõſequi poſſunt, quàm vt ſeſe armis & munitioribus locis per quæ illi poſſent violenter opprimi ac miſerè affligi, omnino denudari ſiue deſtitui nullo modo patiantur, neutiquam expedire compererunt, vt in manus gubernatoris illa tradantur ac committantur, ſicut ibidem fit mentio; ſed neceſſarium iudicarunt mutationẽ fieri iuxta ea quæ in ipſo articulo aliqua ex parte conformi 6° Tractatus Artheſienſiũ articulo, itẽ & 6° Edicti perpetui memorantur: ne amplius populo præbeatur anſa ſuſpicionis ac diffidẽtiæ; quum nihil magis hanc pacis negotiationẽ impedire ſiue retardare quàm ipſa diffidẽtia, queat. quæ profectò præ ceteris rebus debet præcaueri ac euitari. Ordines enim nullam præter eam vnicam ob cauſam eandem mutationem fecerũt: nolentes per id vllo pacto auctoritati & obedientiæ ſuæ Maieſt. debitæ derogari: quas (eadem diffidentia rebus pacatis tẽporiſque lapſu ceſſatura) facile erit Ordinũ conſenſu in integrũ reſtituere; idq. lõgè firmiùs quàm antehac.

antehac. Nihilominus ſi huius rei occaſione impediatur negotij progreſſus; iidẽ deputati poterũt 12. 10. aut ſeptẽ annorũ ſpatiũ præfigere circa gubernationes ſiue functiones publicas in poſterum vacaturas; prout ſuprà 10. articulo enarratur.

Decimus octauus iuxta ſuam formam & tenorẽ cum Ordinũ mente cõuenit; excepta clauſula qua fit mentio *De collectis in poſterum faciendis*: propterea quòd id repugnaret iis quæ ſuprà 6° & 7° articulis dicta ſunt.

Ad xix. articulũ id dumtaxat additur, quod nõ poteſt omitti propter fœdera & pacta tã cũ Regina Angliæ quàm cũ Duce Andegauenſi inita; quibus nec æquitas nec ratio permittunt per hũc Tractatum derogari; quippe cùm ſatis cõforme ſit 12. articulo Edicti perpetui. Si qua tamẽ oriretur difficultas, licebit deputatis ſeſe largiùs in eo extẽdere; quòd nimirum illa cõuenta & pacta cũ iiſdem Regina & Duce ſaltẽ tamdiu ſint duratura donec Ordines vtrumq. ea ſatisfactione quam cõuenire cõpererint, contentũ reddant. Quod inſuper attinet ad cõtractus cũ indigenis ſeu naturalibus initos quorũ xix. articulo fit mentio; ſiqua oriatur cõtrouerſia; licebit quoque legatis amplius largiri, quòd confœderatio inter indigenas contracta, ſit tamdiu permanſura dum per Ordines generales ſollemniter cõgregatos aliter fuerit conſtitutum.

Super xx. artic. Si Domini electores aliiq. Principes inſiſtant vt ij Principes quos in hoc Tractatu cõprehendere prætendunt, nominentur: poterunt Regẽ Nauarræ, Ducem Caſimirum, plurimoſque alios Comites, Dominos ac Nobiles qui

HAYROBA BIBLIOTECA OHY M.U.M.E.M.C.D.A

hoc in bello Ordinibus operam mutuam ac subsidiariam præstiterunt, nominare.

De articulo verò religionis; Cùm planè necessariũ sit circa Religionis reformatæ & Confessionis Augustanæ exercitiũ conniuere, iis præcipuè locis vbi in præsentiarum illud in vsu est, si modò sua Maiest. ditiones suas cupiat pacificas & sub sua obedientia conseruatas; vti facilè iudicare poterunt ij qui penitiùs ipsius religionis præsentẽ statum & indigenarũ inclinationes perpenderint: rationem habentes & exemplũ in memoriã reuocantes eorũ quæ in Gallia, aliisq. regnis ac prouinciis vicinis contigerunt post diuturna bella ciuilia, sanguinis effusionẽ & enormes atq. execrabiles carnificinas; cùm maximè eadẽ religio, progressu tẽporis tam per mutua antiquaq. cõmercia ac familiarem cum regnorũ & prouinciarũ vicinarũ incolis contractã cõuersationẽ paulatim hominũ animis infusa sit; atq. nunc tẽporis per diuturnã suæ Maiest. absentiam, rerũ omniũ confusionẽ, tumultus, bellaque ciuilia insuper exorta tã profundas in diuersis ciuitatibus & locis radices egerit; vt citra illarũ exterminationẽ aut deuastationẽ ingentemq; ruinã tolli ea nõ possit. Et, quod præcipuũ est, earundem religionũ exercitio priuare velle indigenas qui tãto sunt numero, ac summo eius desiderio ac amore feruẽtes (vti facilè cuiq. videre licet) id planè foret eos in extremã desperationẽ redigere: quæ ruinam ac expulsionẽ eorũ qui religionem catholicã Romanam profitentur, causare posset; notãter præcipuis in ciuitatibus ac locis harũ prouinciarũ; præsertim cùm exercitij eiusdem religionis denegati occasio

occasio maiores progressus quàm impedimentum sit allatura. Quippe ita natura cõparatum esse videmus, vt homines procliuiores sint ad ea quę sibi interdicta cognoscunt, expetenda; atque iis rebus quæ abunde ac pleno copiæ cornu ipsis suggeruntur, facilè satientur. quæ quidẽ & similes vrgentes causæ non potuerũt nõ mouere Ordines ad Ma^tem Regiã demississimis animis rogandã, ne libertatẽ & pacificationem religionis, prout ipsorũ scripto declaratur; iis locis potissimùm vbi in præsentiarũ ea exercetur, denegare velit: atque ita Religio Catholica Romana iis locis vnde ea in præsentiarum expulsa est, restituatur interueniẽte firma religionis concordia ad securitatem tam vnius, quàm alterius religionis, idq. solùm per modum prouisionis. Post pacẽ autem publicatã, ac milites vtrimq. exauctoratos ac dimissos, rebus iam pacatis, Ordines generales conuenient, & corã Commissariis in eũ finẽ à sua Ma^te deputandis manutenebunt, quòd saltem idem exercitium ad certas ciuitates & loca restringatur, prout iuxta cuiusq. prouinciæ statum fieri posse videbitur: Hollandis interim ac Zelãdis intra Pacificationis Gandauẽsis limites iuxta eiusdem scripti tenorem permansuris. Quòd si in hoc primo cõuentu tota negotiatio peragi nequiuerit, manutenebunt ac sedulam nauabunt operã, vt in sequentibus vlterius prouideatur. Verùm si Dux de Terranoua, ac Domini Electores certũ tempus velint præfigere intra quod post pacis publicationẽ idem primus conuentus haberi debeat: licebit ipsis Legatis de 5. aut 6. mensium post eãdem publicationem termino pacisci. Atqui si de his verbis

HAAGSCHE BIBLIOTHEEK OPVIJ U.L. MEERLANDA

rebusq; pacatis, oriatur cõtrouersia; quę tamẽ verba non aliam ob causam inseruntur quàm ad maiorẽ declarationẽ, iuxta ea quę Pacificatione Gandauensi continentur, cùm dimissio quoq militum id in se includat; poterũt etiam omittere eadẽ verba *rebusq; pacatis*. Porrò facilius erit in iisdẽ conuentibus ipsum religionis exercitium moderari, post pacis publicationẽ, oppidis iam prę sidio exoneratis, turbis cõsopitis, diffidẽtiis lapsũ temporis sublatis, ac quolibet ad suum opificium consuetũque exercitiũ reuerso, belli defatigato laboribus, ac iam dulcem pacis fructum percipiente, quàm si mox ista moderatio fiat, rebus adhuc ita immaturis, animis alteratis siue exasperatis, diffidentias sinistrasq. suspiciones fouentibus, ac planè eiusdẽ religionis reformatæ ardore flagrantibus; in qua suarum animarum salutem credunt cõsistere; quæ certè temporis progressu verisimiliter refrigescet. Id quod Domini legati rationibus aliis & argumentis quę quidem poterũt huic seruire negocio, & quæ facilè ingenij iudiciiq. acumine excogitabunt, vbicumque res postulabit, demonstrabunt. Actum Antuerpiæ XXIII. die Nouembris, M. D. LXXIX.

Ex mandato ac iussu expresso Ordinum,

A. Blijleuen.

LITTERÆ IMPERATORIS AD LEGATOS ORDINVM.

Rudolphus secundus diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus.

ILlust. Generosi, Magnifici, Nobiles, honorabiles, prudentes & fideles dilecti. Allatum ad nos est, die xiij. præsentis mensis, à Commissariis nostris, ad pacem inter Seren. Hispaniarum Regem Catholicum, auunculum, sororium & fratrẽ nostrum charissimum, ac Ordines Belgicos, conciliandam deputatis, Recessum quẽdam publicatũ fuisse, quo se istinc discessuros declararint: Quẽadmodum etiam mox altero die Elector Treuer. eius rei initium fecerit: Ceteros verò petitioni vestræ, qua Ordinum Belgicorum responso, ad propositos pacis articulos eò proferendo, saltem quatridui moram postulastis, locum dedisse. Quoniam verò ea est omnino mens nostra, quòd cœptam tractationem (dummodo aliqua optati effectus spes reliqua sit) vlterius continuari, neque ad certũ aliquod tempus restringi summopere cupiamus; scribimus vnà cũ his, prę fatis Commissariis nostris, præsertim verò Electori Colonien si, ac Episcopo Herbipolen si, vt non modò petitũ quatriduum (quod iam præteriit) verùm etiam quandiu rei necessitas postulauerit, ac, vti diximus, spes aliqua supersit, isthic subsistant. Eo verò casu, quo iã recessissent, quamprimum Coloniam redeant, ac dictorum Ordinum Belgicorum respõsum expectẽt. Illo verò accepto, pro eiusdem qualitate vlte-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

rius ſtatuant, ac in id quidem ſummo ſtudio enitantur, vt ſublatis ſi quæ ſint difficultatibus, res omnis ad concordiam reduci queat, prout ex ipſis Commiſſariis noſtris, vel ſaltem ceteris iam inde digreſſis, ex Conſiliario noſtro, & ſupremo aulæ Mareſcalco, Comite Ottone Hērico de Schwartzenberg, vberiùs intellecturi eſtis. Quapropter vos benignè clemēterq. hortamur, & requirimus, vt priori caſu, quo ſcilicet Colonienſis Elector ac Epiſcopus Herbipolēſis etiamnū iſthic eſſent, vos quoque ibidem ſubſiſtere; altero verò caſu eorundem reditum expectare, ac in omnem euentum tales vos exhibere velitis, vt quod ad imponēdum ſalutari huic negotio eum finem, quem calamitoſus ditionum Belgicarum, ipſiusq. Reipub. Chriſtianæ ſtatus maximè flagitat, pertinet, in eo vobis haud vlla culpa attribui queat. Eo namq; ipſo vobis ac patriæ veſtræ rem in primis vtilem atq. neceſſariam, nobis verò longè gratiſſimam facturi eſtis. Quod reliquum, Cæſar. noſtram beneuolēſtiam & gratiam vobis benignè deferimus. Datum in arce noſtra Regia Pragæ, die xxiiij. menſis Nouembr. anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono. Regnorum noſtrorum, Romani quinto; Hūgarici octauo, & Bohemici etiam quinto.

Rudolphus.

V^t. Suiehuſer D.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Maieſt. proprium,
Phernberger.

LITTE-

LITTERÆ DVCIS DE TERRANOVA AD LEGATOS ORDINVM.

Illuſtriſsime Domine, admodum Reuerendi & Magnifici viri.

ACcepi litteras, quas proximè poſt meū Colonia deceſſum mihi D. & Dilectiones veſtre ſcripſerunt, quæque iis continētur diligenter perlegi, ac planè intellexi. Verùm quia ipſis eſt exploratiſſimum, quomodo negotium huiuſmodi hactenus proceſſerit, quibus impulſi grauiſſimis rationibus, Illuſtriſſimi Principes Sac. Rom. Imperij Electores, ceteriq́ue Sac. Cæſ. Maieſt. Commiſſarij conuentui finem impoſuerint, iſtincque receſſerint; Vnum mihi tantummodo ſupereſſe videtur, vt quod ſæpius præſens ore tenus peregi officium, rurſus per litteras repetā; nempe vt Dom. & Dilect. veſtras vehementer horter, quemadmodum libenter & ex animo facio, vt pro ea qua pollent auctoritate, Reg. Cathol. Maieſt. ſubditis omni ſtudio perſuadere nitantur, vt tantam eiuſdem Maieſt. Principis ſui naturalis benignitatem amplecti minimè recuſent, ad eandem Cath. Maieſt. via iam in ipſo conuentu patefacta, propoſitis reconciliationis articulis, & condicionibus, vniuerſo orbi tantopere probatis, redeundo, debitamque reuerentiam ac obedientiam illi exhibēdo & præſtando, ſicque antiquam trāquillitatem & pacem recuperando. Quamuis enim Colonienſis conuentus ſit finitus, adhuc ſuę Cath. Maieſt. ſubditis liberum eſt tāta potiri gratia, vel ipſam Reg. Cath. Maieſt.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Maiest. vel eiusdem Gubernatorem generalem adeundo, qui non minori beneuolentia ac benignitate iisdem articulis redeuntes suscipiet. Quod quidem Dom.& Dil. vestras pro vestra erga Deũ Opt. Max. pietate ac erga patriam charitate facturas esse, quantum in illis est, haud dubito. Valeant Dom.& Dil. vestræ, quas Deus Opt. suo patrocinio tueatur. Datum Bonnæ die quinto Decembris, M. D. LXXIX.

Dom. ac Dilect. Vestris
ad seruitia paratissimus

Carolus ab Aragonia Dux
de Terranoua.

RESPONSVM LEGATORVM ORDINVM AD IMPERATOREM.

Inuictissime Cæsar, Domine clementissime.

AD litteras quas Sacr. Cæs. Maiest. T. pro paterno affectu, quo afflictissimam patriã nostram prosequitur, clementissimè nobis scribere placuit, eãdem Sac. Cæs. Ma. T. demississimis animis celare non possumus; cùm nihil adeò sinceris animis optemus, quàm nõ solùm in hac re, quę ad salutem nostram instituitur, sed etiã in quauis alia Sac. Cæs. Maiest. T. humillimè obedire; nos omninò paratos esse hîc subsistere, idque eo magis, quòd Resolutio Ordinum generaliũ pridie quàm Sac. Cæs. Maiest. T. litteræ nobis redditę sunt, huc transmissa fuerit, quam incontinẽti Sac. Cæs. Ma. T. Legato Comiti de Schwarzẽberg, porreximus, & cum eo cõsultauimus, quid porrò nobis in hoc negotio agendum esset, quæ sine dubio Sac. Maiest. T. ipsemet latiùs expositurus est. Sed cùm idẽ legatus in articulis prædictæ resolutionis aliquas difficultates nobis hodie proposuerit per exhibitionem partis Instructionis nostræ, conati sumus easdem illas difficultates lenire & dissoluere. Quibus Sac. Cæs. Maiest. T. clementissimè contentam fore propter præsentes necessitates nostras omnino confidimus. Nihilominus vt super omnibus exactissima adhuc deliberatio per Ordines ineatur, mittimus incontinenti aliquos ex nostris, qui de omnibus quæ hîc acta sunt; pręcipuè etiam quę de nouo hodie Sac. Cęs. Maiest. T. Legato nobiscum conferre placuit, Ordines instruant, quidque porrò agendum sit nobis per eosdem primo tempore significent. Interea Sacr. Cæs. Maiest. T. cum omni humilitate & obedientia etiam atque etiam rogamus, vt quemadmodum Christianissimè, & plus quàm paterno affectu hoc negotium pacificationis aggressa est, eadem pietate & affectu ad recreationem miserrimæ & afflictissimæ patriæ nostræ, cum qua etiam non solùm vicinæ prouinciæ, sed & tota Germania pati cogitur, id ad optatum finem pacis clementissimè perducere conetur. Ob quam rem Sacr. Cæs. Maiest. T. non solùm nos qui hîc sumus, sed etiam tota inferior Germania, demississimè obstrictos in perpetuum ad omnem obedientiam & fidem agnoscemus. Eandem Sac. Cæs. Maiest. T. gratiæ & protectioni

Dei

HAVROBA BIBLIOTEKA OHV IN MEHRKOBA

Dei Opt. Max. vt in ea viuat & valeat, eidemque Sac. Maiest. T. supplices & humillimè commẽdamus. Coloniæ iij. die Decembris anno 1579.

Tuæ Sac. Cæs. Maiest.

Humillimi ac deuotissimi legati Ordinum Germanię Inferioris.

Mandato dictorum legatorum,

I. De Kessel.

Ea quæ hic in margine annotantur, desumpta sunt ex Instructione quæ Resolutioni illi adiuncta fuit.

ARTICVLI COMMVNEM OMNIVM PROVINCIARVM RESOLVTIONEM CONTINENTES.

I.

PRimò Pacificatio anno 76. die octaua Nouembris Gandaui inita & instituta, Vnio quoque Bruxellis nona Ianuarij 1577. subsecuta, Edictum insuper perpetuum Bruxellis 17. Februarij anno eodem publicatum, vnà cum Approbatione Regia, saluis iis quæ in sequentibus articulis mutata, aut aliter statuta inueniuntur, in omnibus suis punctis & articulis seruabuntur, & executioni mandabuntur.

Addita est hæc clausula, ad tollendas captiones & disputationes, quæ ex collatione & diuersitate illarum conuentionum in posterũ oriri possent. Causa harum diuersitatum ad articulum quartũ sequentẽ explicatur.

II.

ET quia præter ea quæ à tempore primorũ motuum acciderunt, post iam dictos tractatus pacis Gandauensis, Vnionis & Edicti perpetui, vltrò citróque varia facta, dicta & admissa fuere, tam in generali quàm particulari, hac præsenti quoque Pacificatione non minùs posteriorum istorum factorum & dictorum quocunq. modo & loco cõmissorum, siue demolitionẽ castrorum & fortalitiorum spectent, siue quiduis aliud, quàm eorum quæ antea contigerunt, perpetua oblivio cõstituatur; ita vt eorum nulla amplius fiat mẽtio, exprobratio aut inquisitio, neque per fiscales officiales publicos, neq. per alios cuiuscumque conditionis fuerint, quasi ea numquam accidissent, idque sub pœna exemplaris correctionis, contraueniẽtibus, tamquam perturbatoribus tranquillitatis publicę, infligenda: Ad quem finem & ad maiorem securitatem omnes sententiæ, decreta, proscriptiones, & arresta, occasione dictarum turbarum prolata, seu facta, tam in his quàm aliis ditionibus Maiest. suæ subditis, erunt cassa & irrita, & è publicis Registris & Protocollis expungentur & delebuntur, neque castra aliqua restaurabuntur, aut de nouo ædificabuntur per Maiestatem suam aut successores eius vllo vnquam tempore.

Vel saltem nõ sine cõsensu generalũ et particularium Ordinũ eius prouinciæ in quæ ædificabuntur, simul, vel horũ tantùm qui legitimè & secũdum priuilegia cuiusque prouinciæ vocati erunt.

III.

REx Catholicus, eiusq; successores, vasallis subditisque suis seruabunt, manutenebunt, &, si opus videbitur, etiam de nouo confirmabunt, & per omnes in posterum Gubernatores, tam generales quàm particulares, inuiolabiliter obseruari curabunt, cùm præsenti tractatu, omnia & singula iura, vsus, consuetudines, immunitates, exẽptiones & priuilegia quarumlibet ditionum, ciuitatum, oppidorum, Communitatum, aliorumque priuatorum omnium, tum in genere, tum in specie.

Quædam hic verba omissa & immutata sunt, secundum tenorem art. x. in Edicto perpetuo, ad euitandos scrupulos & superfluitates.

IIII.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ РОВА

IIII.

Diuturnum bellū, direptiones, oppressiones, violentia, diuersæ insidiæ & machinationes, quibus aduersarij vtuntur, alienationes & factiones inter subditos, vbique quæsitæ & excitatæ. Articulus sic conceptus est &c. Propter securitatem ergo subditorum &c.

OMNES Regij milites extranei, tam pedites quàm equites, Hispani, Itali, Albani, Burgundi, Galli, Germani, ceteriquè omnes peregrini, siue propter præsentes motus huc venerint, siue antea accersiti fuerint, intra quindecim dies, post publicatam pacem, egredientur ciuitates, & fortalitia, & intra viginti dies inde sequentes Luxemburgo, adeoque toto Belgio, & post alios viginti dies Burgundia: nec reuertentur ipsi aut alij, nisi ex causa externi belli aut generaliter alterius necessitatis Ordinibus cognita & approbata; & tenebūtur dicti milites in decessu ex ciuitatibus, castris & fortalitiis relinquere omnem commeatum, prouisionem, tormenta & munitiones bellicas, in illis inuētas, & eductas, euectas trāslatasve alio, restituere, & prima opportunitate reponere in locis vnde ablatæ euectæve fuerint, & nihil earum efferre, sed omnia remanebunt ad vsum & tutelam locorum, secundum dispositionem inferius sequentem. Et pro maiore securitate dicti articuli, Gubernatores & Ordines tam generales quàm particulares Luxemburgi & Burgundiæ, iurabunt obseruationem omnium articulorum præsentis tractatus; nec permittent aut patientur vnquam reditum vel transitum aliquorum extraneorum militum in dāmnū aut præiudicium istarum ditionum. In cuius confirmationem exhibebunt publicum documentum. Ordines vicissim curabunt mutua commercia dictis prouinciis redintegrari, & cum omni securitate seruari.

EODEM

V.

Ratio huius articuli eadem est quæ præcedentis.

EODEM tempore, quo dicti exteri decedent, Arthesienses eorumque belli consortes reddent cum commeatu, & munitionibus ciuitates, loca & fortalitia ab ipsis in aliis ditionibus occupata, detenta, seu in eorum potestate existentia; vicissim eodem modo & tempore restituendis omnibus locis, quæ Ordines aliarum prouinciarum in ipsorum ditionibus occupant aut detinent: & ad pleniorem exonerationem subditorum, inducendamque maiorem confidentiam & amicitiam, vtraque pars reuocabit & continebit omnem suum militem intra proprios suæ ditionis limites, constitutis vtrinque Commissariis ad designationē locorum, in quibus hinc inde degent, spatio mensis aut sex septimanarum; vt interea pecunia, solutioni stipendij necessaria, confecta, omnes vtrinque eodem tempore dimittantur.

VI.

ET vt mutua ditionum concordia & securitas sit magis diuturna aut firma, Ordines Arthesiensium eorumque consortes præstabunt cautionem, de nō dando exteris transitum ad interiores ditiones similem illi, de qua in superiori articulo, respectu Luxemburgensium & Burgundorum actum est. Vicissim Ordines aliarum ditionum ad eandem cautionem Luxemburgensibus, Burgundis, Arthesiensibus eorumque consortibus præstandam tenebuntur: prouiso tamen quòd si præter dictos exteros aliqui Regij milites adhuc inueniantur, qui partibus Arthesiensium & consortium non accesserint, ij exauctorabūtur, & dimittentur,

HATHI TRUST DIGITAL LIBRARY

eodem tempore, quo exibunt exteri: & ciuitates, castra & fortalitia, quibus exibunt, restituentur Ordinibus cuiusque prouinciæ, ea lege & condicione, quòd (vt securius teuertantur incolę & liberiorem vsum commerciorũ suorũ habere possint) remanebũt exonerata & libera ab omni milite, nisi sint limitrophani, quibus ante hos tumultus & ab antiquo præsidia esse consueuerunt, quibus prouidebitur prout infetius.

VII.

QVANTVM ad exactiones, impositiones ceteraque vectigalia & onera, præsentium turbarum occasione indicta, attinet, Quandoquidem constat ditiones, occasione præsentium turbarum ac præcedentium onerum, magno ære alieno prægrauari; ita vt periculum sit, ne subditi peregrè proficiscentes detineantur, & mercatorum commercia impediantur, nisi prouideatur: Rex Ordinibus permittet eo modo prospicere, quo ad exonerationem subditorum, libertatem & ampliationem commerciorum iudicabunt expedire, approbatis & confirmatis omnibus constitutionibus redituum, pensionum & aliarum obligationum & fecufitatum hactenus per Ordines factis.

VIII.

Conuenit cum art. x. in tract. Artisc.

ET ne qua semina altercationum aut querelarum relinquantur, omnes Ecclesiastici, necnon Illustrissimus Princeps Auraicus, aliique omnes seculares, tam intranei quàm extranei, recuperabunt pacificè omnia immobilia sua bona secularia & ecclesiastica, iisque siue in Burgundia, Luxemburgo, Hollandia, Zelandia, siue quouis alio

alio loco sitis, statim vti ac frui poterunt, eo nimirum statu & qualitate, quibus in præsentiarum illa ipsa reperientur; idque omni dolo ac fraude semotis, non obstante vlla hypothecatione aut quauis alienatione à tempore Pacificationis Gandauensis facta in contrarium; saluis his, quæ in capitulis, de religionis exercitio disponentibus, inferius subiicientur: similiter restituentur liberæ possessioni omnium mobilium, titulorum, actionum & debitorum non alienatorum. Quæ verò ante pacificationẽ Gandauensem acciderũt, eiusdem dispositioni relinquuntur. Quemadmodum etiam dispositioni xv. & xvj. articulorum eiusdem pacificationis Gandauensis relinquuntur reditus & onera, quibus dicta bona immobilia grauantur, vsque ad Natalitia Domini proximè sequentia.

IX.

SIMILITER quoque subditorum quilibet hinc inde redintegrabuntur in suis honoribus, dignitatibus & beneficiis ecclesiasticis; nouis episcopatibus omnibus, dignitatumque ac beneficiorum incorporationibus cessaturis, & in perpetuum abolendis. Similiter recuperabunt gubernationes, officia & functiones publicas, adhuc aliis non collatas, nisi malint rationabili compensatione esse contenti. Illis verò quorum officia & functiones aliis iam sunt collatæ, æquabilis fiet

Cõpensatio) *secundum qualitatem & personarũ, & officiorum, quorum eadem per ana sunt: sucrunt.*

X 2 compen-

Non enim intentio Ordinum est, vllum à suo officio excludere, quò per hoc infamia aut iniuria aliqua afficiatur, sed vt euitentur non motus ad securitatem tam ipsorum Officiariorum, quam subditorum, quibus illi vel suspecti vel minus grati esse poterunt: Vel saltem, vt interhæc compensatio tandem, dùm per Status generales aliter ad satisfactionem eorum ordinatum fuerit.

compensatio, intra quatuor menses, post pacem publicatam discernenda, & statuenda per Commissarios, hinc inde committendos; ne in ipso pacificationis principio & fine priorum tumultuum noua turbarum nascatur occasio. Prouiso tamen quòd eiusmodi denuo redintegrandi, tenebuntur præstare iusiurandum, cuius in sequenti articulo fit mentio; prout facturi quoque ceteri, ad nouas functiones & officia in posterum cooptandi: reuocando, cassando & annullando, quicquid hinc inde factum, decretum pronunciatumve fuerit.

X.

NVLLI admittentur ad consilia rerum Status, Priuatum, financiarum, aliaque officia maioris momenti & vniuersitatem respicientia, nisi grati Ordinibus generalibus, nec ad gubernacula prouinciarum, ciuitatum, castrorum & fortalitiorum, Capitaneatus aut præfecturas militum præsidialium, status & officia principalia singulas prouincias concernentia, nisi grati prouinciis, in quibus dicta officia exercebuntur. Omnes autem supradicti, siue ad munera vniuersalia, siue alia officia assumendi, erunt naturales prouinciarum bene qualificati, secundum priuilegia, qui etiam ante receptionem solleminter iurabunt Regi, & Ordinibus fidelitatem & obseruationem istorum articulorum: promittentque fideliter & sincerè reuelare Ordinibus cuiusque ditionis, si quæ intellexerint contra honorem, vtilitatem aut tranquillitatem eorundem tractari: sub pœna petiurij & destitutionis functionis & officij.

Repetatur hic ratio quarti articuli. Conformis quoque est art. xxiij. in tractat. Arth. & articulo xvij. Edicti perpetui respectiue. Saltem vt hac vita obseruentur ad annos aliquot propter securitatem subditorum.

XI.

CAPTIVI vtriusque partis, qui ob dictos tumultus adhucdum detinentur, statim & absque vllo pretio relaxabuntur, nisi iam antea de eo aliud inter eos fuerit conuentum & concordatum.

XII.

Concordat cum art. xij. pacificationis Gandauens.

COMES Buranus suæ libertati & patriæ restituetur, intra tres menses, à die publicatæ huius pacificationis.

XIII.

DECRETA, dispositiones & ordinationes per Sereñ. Dominum Archiducem Matthiam, suosq. collaterales & Ordines Statuum, à tempore vltimarum turbarum emanatæ, tam ante separationem quarundam ditionum, quàm post, pro legitimis & validis habebuntur, suosque debitos sortientur effectus: quoad beneficia, dignitates, officia aut alias res quascunque, quæ solent esse potestatis ac dispositionis ordinariæ illorum qui tenent locum Gubernatoris dictarum prouinciarum; & insuper ad preces dictorum Ordinum, Rex Catholicus ratas habebit dispositiones factas, etiam de iis quæ propriæ personæ suæ reseruantur, idque pro hac vice dumtaxat, & saluis iis quæ per hunc tractatum aliter sunt disposita.

Conuenit cum art. 3. in tractat. Arthes. & confirmatur per art. xvij. Pacificationis Gand.

XIIII.

AD creationem Magistratuum, aliorumq. particularium Officiatorum in ciuitatibus, & aliis

locis procedetur futuris temporibus, prout olim, & sicut ex iuribus & priuilegiis cuiusque patriæ, vrbis & loci decet.

Omissæ sunt clausulæ restrictiuæ vt autetur inter conuentiones istas contrarietas; & occasio scrupuli & cauillationibus, quæ oriri possunt ob Edicta olim in causa religionis obseruata, præcidatur.

Consonis priuilegiis prouinciarum.

XV.

AVCTORITAS & obedientia Regi cumprimis restituetur & seruabitur, qualis meritò iuxta præscriptum diuini & humani iuris, necnon priuilegia, vsus & consuetudines patrias & pacificationem Gandauensem, Vnionemque subsecutam, Edictum perpetuum & præsentem tractatum esse debet.

XVI.

AD regimen & gubernacula dictarum prouinciarum, Rex eliget principem de sanguine suo legitimo, Statibus gratum, qui quæve rerum experientia pollens, habeat dotes & qualitates ad eius generis arduum munus cumprimis necessarias, & de quo seu qua subditi iustam causam satisfactionis sint habituri. Gubernabit autem cum omni iustitia & æquitate, præsertim secundum vsus, iura, consuetudines & priuilegia dictarum ditionum, etiam comprehensis pacificationibus supradictis, & hoc præsentis reconciliationis Edicto, quod tenebitur promittere & iurare. Et quoniam Sereniss. Archidux Matthias in maximis istis tumultibus moderatissimè se gessit, cupiùt & supplicant Ordines, vt Maiestas sua eundem Archiducem vel continuare, vel de nouo committere dignetur, sub obligatione & iureiurando prædictis.

Omnes prouinciæ vnanimiter Dominum Archiducem continuari, & confirmari postulant.

XVII.

CIVITATES, vrbes, fortalitia, tormenta bellica, munitiones, commeatus, arma & naues, aliáque

aliáque omnia Hollandiam, Zelandiam & confœderatos respiciétia, relinquúntur dispositioni pacis Gandauensis. Per alias verò ditiones, in potestate dictorum Ordinum existentes, seruabuntur & administrabuntur per eos quibus officia Gubernatorum, Capitaneorum & aliorum Officiatorum per dictum Seren. Archiducem & Ordines commissa sunt, præstito iureiurando Regi & Statibus, de quo in nono articulo superiùs est actum. Et ciuitates, castra, fortalitia ex quibus Hispani & alii exteri excedent, aliáque officia quæ in posterum vacabunt, committétur per Maiestatem suam naturalibus harum ditionum, qualificatis secundum priuilegia, & Ordinibus cuiusque patriæ gratis, qui antequàm suscipiant dictarum ciuitatum, castrorum & fortalitiorum gubernationem atque munitionum custodiam, iurabunt iusiurandum in nono articulo superius propositum, donec super dictis de consensu Ordinum generalium sollemniter congregatorum aliter fuerit dispositum. Interim verò & incontinenti ad manus dicti Gubernatoris patrimonium aliáque omnia bona ad Regem pertinentia tradentur.

Propter variationes ad art. 4. explicatas, hæc sola cautio extra metum & periculum subditos conseruare potest. Quique hic articulus conformis art. 12. in tract. Arriuef. & vi. Edicti perpetui.

Saltem vt hæc ita obseruétur ad annos aliquot propter securitatem subditorum.

XVIII.

PERMITTENTE nihilominus Rege, & quidem merè in huius reconciliationis gratiá, vt quod hactenus ex eius patrimonio seu populi subsidiis desumptum & collectum fuit, id ita collectum receptumque maneat: ita tamen vt in posterum ab huiusmodi detentionibus & occupationibus desistatur.

XIX.

ORDINES renunciabunt omnibus fœderibus pactisque cum exteris occasione dictorum tumultuum initis; saluis his quæ cum Sereñ. Regina Angliæ & Duce Alenchonio tractata sunt.

Donec vtrumque propter conuentiones præcedentes contentum reddiderint.

XX.

COMPREHENDENTVR hoc tractatu dicta Regina Angliæ, Dux Alenchonius, omnésque principes, & alij cuiuscumque conditionis fuerint, qui Ordinibus quoquo modo fauorem aut auxilium præstiterunt.

XXI.

ET quoniam propter commercia subditorum cum vicinis, diuersam religionem obseruantibus, diuturnam suæ Maiestatis absentiam, & tumultus subsecutos, tanta in religione mutatio orta sit, vt sine euidenti discrimine maiorum periculorum res ad pristinum statum reduci non possit: Rex ad supplices preces subditorum suorum, & ne intestina dissidia cum maiore periculo religionis Romanæ augeantur, tolerabit tam religionis Reformatæ quàm Confessionis Augustanæ exercitia, in ciuitatibus & locis, in quibus nunc publicè obseruantur. Vicissim Ordines in omnibus ciuitatibus, & locis supradictis, curabunt statim publicata pace restaurari exercitium Religionis Catholicæ Romanæ, propositis pactis æqualibus inuiolabiliter obseruandis: Præterea post pacem publicatam & dimissum vtrumque militem, rebusque pacatis, Ordines conuenient, & præsentibus Commissariis regis, dabunt operam, ad minus reducere vsum

vsum dictæ religionis Reformatæ ad certas ciuitates & loca, secundum exigentiam cuiusque prouinciæ, Hollandis, Zelandis, eorumque confœderatis nihilominus manentibus in terminis pacificationis Gandensis. Studebunt quoque Ordines vt etiam per Hollandiam & Zelandiam aliquibus locis vsus religionis Catholicæ Romanæ accipiatur, donec progressu temporis per vlteriorem conuentum plenius prouideatur, si in priori congressu omnia absolui non possint.

XXII.

DE ceteris cõcernentibus expeditionem, confirmationem, publicationem, perpetuamque & firmam obseruationem huius pacificationis, postea agendum erit, cùm omnia fuerint concordata & conclusa.

Ad mandatum præfatorum Ordinum Belgij Antwerpiæ congregatorum.

VIII. Ianuarij litteras ab Imperatore; XII. sequente ab Ordinibus, quibus domum reuocantur legati Ordinum acceperunt: quas litteras etiam hic vnà cum responso ad Sacr. Cæs. Maiest. subiicere placuit: vt quomodo finis huic tractationi impositus sit, etiam aliis constare possit.

LITTERÆ IMPERATORIS AD LEGATOS ORDINVM.

Rudolphus secundus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus.

ILlust. Generosi, Magnifici, Nobiles, Honorabiles, docti, fideles, dilecti, Accepimus litteras vestras die tertia præsentis mensis datas, simulque ex Consiliarij nostri ac supremi aulæ Mareschalci Comitis Otthonis Henrici de Schwartzenberg, &c. relatione ac scripturis vnà transmissis, cognouimus, quid tandem à ditionum istarum Belgicarum Ordinibus responsi secutum sit. Equidem nos, quo magis pacis negotium pro communi earundem ditionum ac Reipubl. Christianæ bono atque commodo feliciter confectum iampridem summo desiderio cupimus, tanto minus ab ipsis Ordinibus eiusmodi responsum, vt quod ad eandem pacem conciliandam parũ videtur idoneum, expectauimus. Qua de re cũ prædictũ Mareschalcum nostrum plura vobiscum egisse, adeóque vos ipsius rationibus motos, rem omnem per quosdam è vestro medio ad dictos Ordines, & Status, pro vlteriore articulorum illorum moderatione, retulisse intelligamus; confidimus sanè ipsos Ordines ita se resoluturos esse, vt maior inde pacis stabiliendæ spes cõcipi possit. Quam ad rem istud parum sanè commodum, nobis verò inexspectatum planè molestúmque accidit, quòd non modò, præter ipsum Comitem à Schwartzenberg, ceteri Com-

Commissarij nostri Colonia maturiùs recesserint; verumetiam Sereñ. Hispaniarum Regis Catholici, &c. auunculi, sororij & fratris nostri charissimi Mandatarius, Illustr. Dux Terræ nouæ eosdem secutus sit: Nos quidem tam ipsum Ducem, quàm Commissarios omni diligentia hortati sumus, vt denuò Coloniam, vel ad alium locum ipsis magis commodum, se conferant, ac pacis tractationi cõtinuandæ quanto maiori studio atque cura incumbant: vti ex nouissimis nostris litteris haud dubiè intellexistis. Quid autem illi, præsertim verò Dux Terræ nouæ, cuius præsentia ad vlteriorem illam tractationem maximè necessaria est, consilij capturi sint, necdum scire possumus, sed eorum responsa indies expectamus. Quæ si talia adferantur, qualia nobis pollicemur; Status verò & Ordines ad æquitatis terminos propiùs accesserint: Nos, vti hactenus fecimus, ita deinceps etiam nihil prætermittemus, quod ad pacificationis negotium ex voto peragendum pertinere iudicabimus. Vestrum autem erit, apud Ordines auctoritate vestra efficere, vt nec ipsi quicquam, quod ad hunc effectum, calamitosum scilicet patriæ vestræ afflictissimæ statũ pristino suo nitori & tranquillitati restituendum, opportunum esse queat, in se vspiam desiderari patiantur. Erit hoc vestro officio ac quam eidem patriæ debetis pietate dignum, tum etiam vobis, ipsisque Ordinibus maximè commodum & salutare. Quod superest, Cæsaream nostram beneuolentiam & gratiam vobis propenso animo deferimus. Datum in arce nostra Regia Pragæ die XVIII. mensis Decembris.

Anno

Anno Domini milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo nono. Regnorum noſtrorum, Romani, quinto; Hungarici octauo; & Bohemici itidem quinto.

Rudolphus.

V^t. Suicheuſer.

Ad mandatum Sacr. Cæſ. Maieſt. proprium,

Phernberger.

LITTERÆ ORDINVM AD EOSDEM LEGATOS.

Ex lingua Gallica in Latinam verſæ.

DOMINI. Nos audiuimus hîc narrationem & relationem, quam ex parte veſtra latè & particulariter fecerunt Conſiliarij de Meetkerke & vander Milen, collegæ veſtri, ſuper ſtatu pacificationis, quæ per vos nomine noſtro tractata eſt cum Duce de Terranoua Mandatario Regis Catholici, per interceſſionem principum Electorum, aliorumque Commiſſariorum Imperatoris, & poſt diſceſſum eorũ cum Comite de Schwartzenberg Maieſtatis ipſius Oratore, ſecuti litteras veſtras Credentiales, & Inſtructionem, quam prædictis Conſiliariis dediſtis. Recepimus etiã litteras veſtras ad nos ſcriptas de dato xvj. Decemb. pridem elapſi; necnon illas Imperatoris iis adiunctas. Super omnibus accuratè & maturè, ſæpiùs deliberatione

ratione habita, pro maximo deſiderio quod nos & quilibet noſtrûm habet ad bonã & firmam pacem obtinendam, vt in quiete agamus, atque pacificè noſtris iuribus, priuilegiis, bonis & libertatibus fruamur: nihil tam optauimus, quàm negotium illud pacificationis tali loco extitiſſe, vt continuatione illius veſtráque diuturniore mora ibi ſignificationem habuiſſet ad optatum tandem fructum eius perueniendi. Sed conſiderato quòd principes Electores aliíque Commiſſarij Cæſarei (excepto Comite de Schwartzenberg) omnes Colonia diſceſſerint, ſicut etiam Dux de Terranoua, tãquam pars, quocum ex parte Regis vlterius agendum erat, quòd nec is voluerit ante diſceſſum ſuum recipere aut cognoſcere vltimam noſtram Reſolutionem, nõ obſtante debito veſtro officio, quod, ſimul ac Dominus de Melroy, qui attulerat eam vobis, aduenit, præſtitiſtis, tam ex parte veſtra quàm per mediationem & interceſſionem præfati Domini Comitis, ſed quòd Dominus Dux ſe gereret & reputaret pro priuata aliqua perſona, accipiens Receſſum principum Electorum loco veniæ inde decedendi: ita vt nullum nunc ſignum amplius ſit poſſe vlterius quicquam tractari, vel quicquam concludi cum Comite de Schwartzenberg, abſentibus principibus, aliisque Commiſſariis, & præcipuè abſente parte, quacum tractare nos oportebat; ſicut idem Comes quoq. ſignificauit nullam ſe ad hoc habere auctoritatẽ. Quinetiã parum materiæ cõperimus ex qua reditus principũ Electorum aliorumq. Commiſſariorũ ſperari poſſit, eo quòd litteræ S. Cæſ. Maieſt. ad ipſos ſcriptæ cõditionem

contineant, dummodo scilicet aliqua optati effectus spes reliqua sit: de qua re ex parte vestra non æstimatis posse eos concipere opinionem, cùm iam etiam ipse Comes satis se in eo declaraverit, per illud quòd de nostra Resolutione iudicauit; nisi hîc intendamus moderari ista, nosque amplius dilatare. Ad quod auctoritatem non habentes, quodq. per prædictam Resolutionem communi manu & collatione fecimus, & cessimus omne id quod dispositio rerum patriæ, possibilitas & necessitas temporis permittunt; atque inuenientes per rationes istas cum magno nostro dolore negotium pacis non ibi dispositum esse ad felicem finem consequendum, ad quem adeò aspiramus: voluimus significare vobis putare nos non conuenire, vt prębeamus vobis circa hoc negotium plus molestiæ, curę & laboris, sed vt primo tępore redeatis ad nos ad faciendum nobis ampliorem relationem; assistatis vestro consilio, ad promotionem communis nostræ causæ, subministrantes primùm Comiti de Schwartzenberg exemplum Instructionis vestræ secretæ, omniumque punctorum, quæ in ea continentur.

Et nihilominus considerata magna instantia quam Sacr. Cæs. Maiest. facit per diuersas litteras, vt prædictum negotium Pacificationis continuetur, ne culpa aliquâ in nos coniiciatur, quasi per vestri exonerationem & reditum, ex toto illud abrumpamus & præcidamus, scientes Dominos de Rummen & Doctorem Albada ibi domicilium habere, minorique cum incommodo subsistere posse, ab iis requirimus vt ipsi negotium istud sustententent,

tententent, & continuent; sequentes vltimam nostram resolutionem, si casus se obtulerit atq. aliàs mutuâ teneant cũ prædicto Comite de Schwartzenberg communicationem, dum mittamus aliquot personas ad Sacr. Cæs. Maiest. ad reddendam ei particularem rationem de statu rerum nostrarum, ad iustificationem, excusationémque harum ditionum, & ad demonstrandum bonam volũtatem, affectionem ac singulare desiderium, quod habemus ad securam firmámque pacem cõstituendam: supplicantes in omni humilitate & obedientia, vt Mediatorem nostrum apud Maiest. Catholicam agere velit, eámque inducere, vt placeat ei id consentire nobis, ad quod necessitate impellimur, & quod excusare non possumus, nisi petamus, si modò ditiones istas deuotioni ipsius conseruare volumus.

Domini, Creatorem rogamus vt expleat nobilia & honesta vestra desideria; nos intimè vestris gratiis commendantes. Antwerpiæ 1. Ianuar. M. D. LXXX.

Excell. Patern. & Dom. V. addictissimi Ordines generales inferioris Germaniæ.

LITTE-

Ex lingua Gallica in Latinam versa.

LITTERÆ ORDINVM AD DOMINVM DE RVMMEN ET DOCTOREM ALBADA.

DOMINI. Etiamsi contenta nostrarum litterarum ad Dominum Ducem Arschotanum, atque alios legatos nostros, qui ibi sunt, sufficienter vos instruxerint de nostra sententia & intentione, quo ad vlteriorem super pace tractationem insistētes postremæ nostræ resolutioni: nihilominus omittere non voluimus; in primis intimè vobis gratias agentes, ob bona vestra officia, durante illic pacificationis negotio prestita, requirere à vobis instanter, vt suscepto continuandæ illius tractationis munere, velitis vos de puncto ad punctum cōformare ad contenta dictarum nostrarum litterārum; vtque nos admoneatis sæpiusculè de omnibus iis quæ ibi inciderint: affirmare vobis possumus, quòd ex nostra parte ad mutuam communicationem nihil deerit, & notanter circa legationem, quam cupimus ad Sac. Cæs. Maiest. expedire, in eum finem, quem in prædictis litteris latiùs exposuimus. Rogamus Creatorem vt expleat, Domini, vestra bona desideria, & in sanitate beatam vitam vobis largiatur. Antwerpiæ iij°. Ianuarij, M. D. LXXX.

Vestri optimè erga vos affecti amici Ordines generales inferioris Germaniæ.

Ad Mandatum præfatorum Ordinum,

Houfflin.

RESPON-

RESPONSVM LEGATORVM ORDINVM AD IMPERATOREM.

Inuictissime Cæsar, Domine clementissime.

SAcr. Cæs. Maiest. T. litteras xviij°. Decembris datas, octauo Ianuarij proximo demississimis animis accepimus, earumque exemplum incontinenti Ordinibus communicauimus. Interea antequam responsum ad eas habere potuimus, hesterno scilicet die litteræ ab iisdem Ordinibus ad nos peruenerūt, quibus sententiā suam nobis circa ista absolutè declarant, quam ad longum hîc referre opus esse non putauimus, propterea quòd exscriptionem earum Generoso Comiti de Schwartzenberg, &c. ad petitionem ipsius tradiderimus; qui indicauit nobis ad Maiestat. tuam se velle istas litteras vnà cum secreta nostra Instructione, quam offerre illi iussi eramus, transmittere. Porrò cùm ex iis litteris, simul etiam Sac. Cæs. Maiest. discessum nostrum intelliget, hoc vltimo responso non nostro tantùm nomine, sed & Ordinum communiter, donec alia legatio (cuius ibidem mentio fit) ad Maiest. tuam veniat, eidem Maiest. T. pro vero illo paterno studio & affectu, quem erga incolumitatem & salutem afflictissimę patriæ nostræ hactenus demonstrauit, quàm maximas gratias humillimè agere volumus, cum hac demississima petitione, vt in eo studio & affectu, vsquequo cum Seren. Rege Catholico Principe

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОЛЬГИ ЛЕЩИКОВА

& Domino noſtro naturali recõciliemur, clementiſſimè perſeuerare dignetur. Deo Opt. Max. Sac. Cæſ. Maieſt. T. vt eam ſua gratia augeat, atque in felici regimine conſeruet, eidemque Maieſt. T. Ordines & nos ſupplices & humillimè commendamus. Coloniæ xiij°. Ianuar. Anno M. D. LXXX.

Tuæ Sacr. Cæſ. Maieſt.

Humillimi ac deuotiſſ. Legati Ordinum Germaniæ inferioris.

Mandato dictorum deputatorum,

I. De Keſſel.

AD LE-

AD LECTOREM.

NOTA, æque Lector, in Protocolo quod S. Cæſ. M. Commiſſarius attribuitur, de quo tamen multi dubitant, atque Coloniæ procurante Duce de Terranoua hoc Titulo impreſsum eſt: Relatio ad S. C. M. eorum quæ per ſuæ M. Commiſſarios in negotio pacificationis Belgicæ Coloniæ acta ſunt anno M. D. LXXIX. in hoc inquam Protocolo duo ſcripta ex parte eiuſdem Ducis inueniri, quæ iſtis Actis inſerta non ſunt. Prius exhibitum eſt xxvj. Iunij, & notatur num. xxx. ita incipiens: Breuis & ſuccincta elucidatio Articulorum ex parte S. M. C. iampridem exhibitorum, &c. Alterum exhibitum eſt x. Nouem. notat. nu. lxviij. cui Tit. in Relatione datur: Summarius totius negotij diſcurſus. Incip. Quoties profundior, &c. E contra ex parte Ordinum vltimum ſcriptum quod Legati eorum altero die, nempe xiiij. Nouemb. poſt receſsum

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

à Dominis Cõmiſsariis datũ exhibuerunt; in prædicto Protocolo omiſsum eſt, nec vlla eius in Relatione mentio fit. Horum ſcriptorum exhibitionis & omiſsionis propterea, te Lector, admonere volui, vt ſcias duo illa Terranouani ſcripta haud dedita opera in his Actis præteriri, ſed non fuiſse ea Ordinum Legatis communicata, nec de iis quicquam illos ſciuiſse, niſi à paucis diebus, quòd quibuſdam eorum ſecretiſſimè facultas perluſtrandi Protocolum illud, ſed nihil ex eo deſcribendi conceſsa fuerit, alioquin addere iſta ad ſua Acta & reſpondere iis nõ deſiiſsent. Scriptum verò Legatorum Ordinum cur omiſsum ſit, aliis inquirendum relinquo: ſed tamen animaduertes non parum illud ad cauſam & excuſationem Ordinum pertinere. Vale xiij. Febr. M. D. LXXX.

IEREMIÆ XIIII.

An omnino abiicis tuum populum Domine, num terram noſtram abominatur anima tua? Quare percutis nos ita, vt nulla ſuperſit nobis curatio? Quare expectando pacem, nullum adeſt bonum, & expectando tempus curationis tãtum ecce terror?

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

ANTVERPIÆ EXCVDEBAT CHRI-
STOPHORVS PLANTINVS AR-
CHITYPOGRAPHVS REGIVS,
ANNO M. D. LXXX.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Typographus Lectori.

Cùm iam ad finem hoc opus perduxissemus; allata sunt nobis litterarum Illustriss. S. Cæs. Maiest. Commissariorum ad Sen. populúmque Antuerpiensem, & horũ ad eos responsionis exempla: quæ hîc sequuntur.

SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS AD NEGOTIVN PACIFICATIONIS Belgicæ deputati Commissarij.

Spectabiles & prudentes.

QVID hactenus ex Sac. Cęs. Maiest. mandato ad patriam vestrã ex diuturni & calamitosi belli incendio eripiendã & liberandam, cum Regis Catholici Principis vestri naturalis Mandatario Duce de Terranoua, & legatis Ordinũ Belgij egerimus, & quę pacis media proposita sint per eorundem Ordinũ legatos vel deputatos Antuerpiæ congregatos, vobis significatum esse non dubitamus. Et licet superfluum fortè videri posset, eo nomine ad vos aliarumq. Prouinciarum Belgicarum particulares status, litteras dare, cùm tamen à Sacræ Cæs. Maiest. nobis mãdatum, nostriq. officij sit, vt quacunq. ratione hoc pacificationis negotiũ promoueamus, & ab Ordinũ deputatis Antuerpię cõgregatis, nec ad priores nostras litteras, nec ad media pacis ante aliquot hebdomadas proposita respõsum hactenus acceperimus, & nostræ ac subditorum nostrorum causæ hactenus sepositæ &

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

suspen-

ſuſpenſæ, ac tantum non neglectæ non admittant, vt nos hîc diutiùs fruſtra detineti patiamur; facere non potuimus, quin & vobis & aliarum prouinciarum Belgicarum, particularibus ſtatibus poſteriorum litterarũ noſtrarũ ad Ordines ſcriptarum & mediorũ propoſitorũ copias tranſmitteremus. Certò enim nobis perſuademus veſtrã promotionem apud Ordinum deputatos Antuerpiæ exiſtẽtes tantum ponderis & momenti habituram, vt eo matutius & celerius ab iiſdem reſpõſum acceputi ſimus. Diligenter igitur & ſedulò vos adhortamur vt ea cura & diligentiâ, quam res tanti momẽti & totius patriæ veſtræ ſalus exigit, negotiũ hoc perpendatis; ſimulq. cogitetis bellum hoc ſiue trahatur ſiue impetu breuiori finiatur, in eam tandẽ neceſſitatem prouincias facilè adducere poſſe, vt ad difficiliorẽ multo, quàm nunc offertur, pacem cõpellantur: atq. tanto magis apud deputatos Ordinum Antuerpiæ cõgregatos, ea qua oportet dexteritate negotium hoc veſtrum promoueatis, & ſollicitetis, vt quamprimùm ad media his adiuncta, paci & tranquillitati ac quieti Patriæ veſtræ conueniens reſpõſum & legatis ſuis & veſtris hîc exiſtentibus ſufficiens mandatum tranſmittatur: vt ita Dei omnipotentis ope, pax vobis & Patriæ veſtræ reſtitui, & funeſti ac calamitoſi belli fax extingui poſſit; neque ab eo propoſito alicuius diffidẽtiæ opinione, ſi quæ forte ab aliquibus felicitati veſtræ minus fauentibus vobis ſuggeratur, vos abduci patiaminis. Cùm Regis Catholici animum ad pacem non ſolùm faciendam, ſed & ſeruandã & continuandam ita omnino affectum ſciamus, vt

vt non dubitemus, Imperatoria maximè intercedẽte auctoritate, quin ea ſic muniri poſſit, ne quicquam periculi in poſterum vnquam vobis vniuerſis vel ſingulis ſit metuendum vel expectandum. Deus Opt. Max. vos ſeruet incolumes, vobisque pacem iamdiu exoptatam concedat. Datum Coloniæ v. Auguſti, anno M. D. LXXIX.

Subſcriptum:

Gebhardus.

Iulius Epiſcopus Wirtzen.

Otto Henricus Comes in Schwartzenberg.

Ioannes à Schowenburg præpoſitus Treuer.

Wernher herr zu Gimneich.

HISTORISCHES ARCHIV DER STADT KÖLN

Responsum Senatus Antuerpiensis.

Illustriss.& Reuerendiss. Inclyti, Illustres, Nobiles & honorati cumprimis Domini.

LITTERAS Amplitud. V. datas Non. Augusti accepimus septimo Calend. Septembres, vnà cum exemplaribus litterarū Ordinibus huius Belgij scriptarum, & mediorum capitumq. pacis iisdem trāsmissorum: Quibus vt paucis præsentibus hisce respondeamus, non possumus non ex animo amplecti & deosculari benignissimam Sacrę Cæsareæ Maiest. clementiam, illiq. conformem promptissimam Amplitud. V. volūtatem, promouendæ pacificationi Belgicæ tantopere addictam, nobisq. tam multis variisq. officiis iampridē perspectam & exploratam: quo nomine & generatim Ordines omnes, & nos particulatim in perpetuū Sac. Cæs. Maiest. & Amplitud. V. obstrictos & obligatos sentimus: ingrati profectò futuri, si destituti in præsentiarum cōmoditate & occasione animi nostri gratitudinē re ipsa Amplitud. V. approbādi, saltem verbis illis gratias agere, & cordē habere differremus. Quibus vt Amplitud. V. dū occasionem opperimur gratę nostræ volūtatis re ipsa vberius explicandæ, patiātur interea sibi satisfieri, iterum atque iterum rogamus: Illudq. persuasum habeant nos non memoriam tantùm fidelis ab eis operæ Patriæ nostræ præstitæ, sed nec studium ac voluntatem eam quouis officij genere demerendi, vllo vnquam tempore esse deposituros. Et quando tam felicia sunt iacta initia ac fundamenta pacis, & Regi nostro clementissimo, & communi patrię non

non vtilis tantùm ac commodę, sed etiam omnino necessariæ; graue fuerit ac dolendum in primis, si negociatio tam feliciter hactenus instituta, in medio cursu abrumpatur: Rex & patria sperato ex ea fructu, & Amplitud. vestræ debita pacis confectæ laude ac gloria fraudētur. Qua de causa eas quàm possumus enixissimè rogatas cupimus, operam ac officium hactenus rei tam salutari impensum adhuc continuare velint, neque ab ea antè desistant, quàm re ad optatū ac bonis omnibus desideratū finem perducta, & terra hac Belgica pristinæ quieti restituta, & Regi Catholico Domino ac Principi suo naturali plenè reconciliata: cui nos quantū in nobis est, pro exigua nostra tenuitate neque defuimus hactenus, neque in posterum quoq. fumus defuturi. Verùm cùm huiusce rei resolutio à nobis solis non pendeat, sed reliquarum quoq. omnium Belgij ciuitatum super ea sint audienda & exquirenda suffragia; in quam rem dicta exēplaria transcribi iussa, illis mittere necessum fuit: & qui hîc Ordinibus astitere ab illis deputati, domū regressi sint; hinc factum vt nihil hactenus absolutè potuerit resolui, & multo minus pro communi Ordinum placito isthuc transmitti. Nos interea dicta pacis media & articulos scriptos ea complectentes examinauimus, & cū reliquis huius ciuitatis mēbris contulimus, & conceptam super iis à nobis sententiam scripto complexi sumus, eamque paratam habemus, exhibendam reliquarum Prouinciarum ac ciuitatum Legatis, vbi aduenerint; quos cum earum responsis indies expectamus: vt

collatis inuicem sententiis, communi Ordinum cõsensu cõcipiatur responsum, quod & Regiæ Maiest. clementiæ, & patriæ securitati maximè existimabitur conueniens, & deinde Amplitud. vestris primo quoque tempore transmittatur: quod nos quantum in nobis erit, modis omnibus studebimus promouere. Vestræ amplitud. & nos & patriam communem singulari afficient beneficio, si quales hactenus, tales quoque in posterum se nobis apud Maiest. tam sacram Cæsaream, quàm Regiam Catholicam, patronos & intercessores exhibuerint; quò scilicet inducta Amplitud. V. rogatu sacra Cæsarea Maiest. apud Regem nostrum clementiss. seriò intercedat ac instet, vt quæ ab Ordinibus responso ab illis transmittendo petentur publicæ securitatis ergò, Regia Catholica Maiest. populi supplicantis precibus, & temporis necessitati concedere dignetur; vt scilicet hac ratione pristina patriæ tranquillitas tandem aliquando restituatur, & sua Regi Domino ac Principi nostro naturali legitima constet & conseruetur auctoritas; quod nos vnicè optamus. Et quia non dubitamus æquè nobiscum Amplitud. vestris esse commendatum; non erimus illis longiore prolixitate molesti: tantùm Deum Opt. Max. rogabimus, vt Sacram Cæsaream & Regiam Catholicam Maiest. Amplitudines quoque vestras, quàm diutissimè salvas, incolumes & vndiquaq; florentes conseruet, & pia ac salutaria illarũ consilia diuina sua clementia ita dirigat, vt vniuersa Christiana Respub. pacis toto orbe restitutæ, Belgium

gium verò insuper salutis & conseruationis suæ beneficium illis perpetuò debeant. Datum Antuerpiæ Prid. Non. Septemb. M. D. LXXIX.

Illustriss. Reuerendiss. Inclytarum, Nobilium & honoratarum Amplitud. vestrarum

Addictiss. Clientes,

Prætor, Coss. & Senatus ciuitatis Antuerpiæ.

Mandato præfatorum dominorum,

Ægidius Martinij.

SVPERSCRIPTIO.

Illustrissimis, Reuerendissimisq., Inclytis, Illustribus, Nobilibus ac Honoratis Dominis D. Sacræ Cæsareæ Maiest. Commissariis, Dominis nostris cum primis obseruandis, Coloniæ.

H172312